

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
42 G
51





DOMINICI CAESARII
Forosemproniensis I.V.D.
Epistolarum Selectarum
CENTVRIAE II.
Ad Perill. et Reuerendiss.
D.VINCENTIVM DE S.PETRO
Abbatem meritissimum
Editio Secunda







Bononiæ. Superior. permissu. Typis Hered. Bartholomei Cocchij
Impensis Peregrini Golfurini. M.D.CXXIII

PERILL.RI ET REVER.MO D.

VINCENTIO DE S. PETRO

ABBATI MERITISSIMO.



N mihi è manibus labitur duplex epiſtolarum, Centuria. Cur labatur, optimè ſciunt, qui ſæpius in lucem flagitarunt. Ijs in medium adduxi, ingenij mei fœtibus oculorum aciem eſſe, quæ ad fulgentiſſimos Solis radios caliget: aut illos certè meritorum defectu patrono carere, cuius ductu, & auſpicio circumuolitantes, caueant ab offenſione. Illud verò prętexebã, ratus, iſtos malle, meì beneuolentia

res meas in tenebris tutò delitescere, quàm periculosam lucem aspícere. Sed contra audiui, de rebus nostris judicium, alieno iudicio relinquendum: paucos admodum reperiri, qui de ingenio suo, vel philautia decepti nimis altè, vel modestia deterriti demissè nimis non sentiant. De patrono mihi paratum esse, qui instar omnium sit, Reuerendissimum Abbatem Vincentium de Sancto Petro. Ad Vincentij verbum, non verbo, re vincor: amicos epistolarum mearum iudices facio, mihi ipsi eripio, tibi Mecœnati meo non magis dono, quàm, cùm tuæ sint, libentissimus restituo. Tuæ quidem sunt: quoniam, quicquid ego sum, à te tuisq. maioribus sum, nouem annorum spatio apud vos hu-

humaniſſimè habitus, plurimis, maximiſque muneribus auctus, poſtremò Canonicatu curato Collegialis Eccleſiæ S. Michaelis Bonon. inter multos non parùm ambientes, ſuffragijs, veſtra opera, ſimul coeuntibus honeſtatus. Diuinæ profectò virtutis fuit, vt intra veſtros lares enutritus, à veſtris laribus nihil abeſſem: te tuoſque fratres, non vno virtutum genere florentes viderem: animis veſtris grauiſſima, ſanctiſſimaque pietate æquè, ac natura conglutinatis fruerer: nulla re, niſi humanitate, modeſtia, comitate ſimul certantes cognoſcerem: eoſdem Bonon. iuuentutis ſpeculum prædicantibus teſtis oculatus forem: ſingulis veſtrùm perpetuò deuinctus, ſingulis perpetuas gratias agerem.

Æquis laudibus fratres tecum ęqualiter impertio; ne voluntatum vestrarum consensioni iniuriosus appaream. Hæc enim nostris temporibus ferè sine exemplo, nullum bonorum genus sibi peculiare; sed quicquid est, commune cum omnibus vobis esse profitetur. Hinc parentes, patruique vestri viri sanè laudatissimi, cùm vos studiosos sui imitatores videant, non dubiam spem habent, fore, vt illorum, qui antiquitùs in ista familia per multas olympiades claruerunt, famam adhuc integram non modò seruetis, verùm etiam vestris virtutibus cum ætate crescentibus, in dies magis magisque augeatis. Omnium, dico, famam augebitis; sed præsertim (vt de alijs taceam) Floriani, & Hie-

Hieronymi, quorum alter de Iure conſultorum Collegio Bonon. larga hereditate, alter de vniuerſo ordine ſuo, optimis ſcriptis, quæ hodie doctiſſimorum manibns conteruntur, optimè meritus eſt. Eam verò indolem in te, Vincenti Reuerendiſs. inſpicio, vt qui inter familiæ tuæ Abbates, ſerie nihil interrupta, V. cenſeris, quæ in ſingulis fuerunt, virtutum imaginem referas: & multò magis Aſtorgij patrui, ac prædeceſſoris tui, quem non tam cum Innocentio IX. Pont. Max. affinitas, quàm animi celſitudo, prudentia, rerum gerendarum dexteritas, munificentia, Apoſtolicæ Sedis Nunciū apud Proregem Neapolitanorum declarauit, non multò ante, quàm Romæ Sororis filium Sobrinum


tuum, Summiq. Pont. Pronepotem Cardinalem, Fratrem suum germanum Camillum SS. Mauritij, & Lazari Equitem, Prætorij Pontificij Equitibus Pręfectum vidit. Sęd ne illud temerè mihi videar proposuisse, quod longè supra vires meas positum nemo non videt, te tuosque (inquam) magis laudare, quā summis laudibus dignos ostendere, clausula vtar: si priùs te rogaro, vt duplicem hanc epistolarum Centuriam, pro æterni seruitij, quod tibi profiteor, testimonio, quasi votiuam tabellam meritis tuis dicatam læto vultu accipias. Vale, & felicitate ineuntis anni fruere. Bonon. Cal. Ianuarij M D C X X I.

Cliens tuus addictissimus
Dominicus Cæsarius.

AVCTOR
LECTORI.



ILlud, amantissime lector, te admonitum volo, me vsum esse quibusdam vocibus, vt sors, fortuna, fatum, & huiusmodi: non quòd cum Ethnicis sentirem, sed vt cum illis, tamquam linguæ latinæ parentibus loquerer. Vale, & præli erratis parce.




 5

PEREGRINVS
GOLFARINVS
LECTORI.

CVm priores Dominici Cæſarij epiſtolarum Centuriæ, quæ Hieronymi Tamburini ſtudio, & impenſis in lucem prodierunt, litterarorum manibus contritæ, biennij ſpatio non plenè exacto, perijſſent, ego ſumptui haud parcendum, vt amicis illarum ſtudioſiſſimis parcerem, exiſtimaui. Quocirca non modo illas typis commiſi, verùm tertia, & quarta Centuria meo ſumptu locupletaui. Si dicam ex Auctore, precibus extortas, nihil veritati addam: quamuis enim ille non

igno-

ignoret, primam, & ſecundam Centuriã ab omnibus quàm maximè laudatas; attamen de rebus ſuis adeò modeſtè ſentit, & iudicat, vt nulla prorſus laude dignas cenſeat. Si tu alterum etiam fœtum in iudicij trutinam ponas, eum (bona fide polliceor) non minùs, quàm priorem commendaueris. Scatet ſalibus, ſcatet lepòribus, ſcatet rebus elegantiſſimis à dicendi proprietate, maieſtateq́ue non alienis. Libenter igitur legas me, qui vt legeres, feci, mutuo diligas, & valeas.



INDEX EPISTOLARVM

SELECTARVM CENTVRIÆ Primæ, & Secundæ.

A

An-

INDEX.

Bla-

Do-

INDEX.

D

E

F

Fran-

Her-

INDEX.

I

Io.

Mar-

M

N

O

P

Pau-

INDEX.

R

Se-

INDEX.

S

T

V

Z

FINIS.


ATtestor, me, maxima animi mei voluptate, legiſſe, ac examinaſſe epiſtolas à D. Dominico Cæſario, docto, puro, & eleganti ſtylo, grata varietate, ac ſententiarum pondere conſcriptas, iucundis ſalibus, ac venuſtis lepòribus conditas: & nihil in eis deprehendiſſe, quod ſacris ſanctionibus aduerſetur. Quinimò, cùm nil, niſi ciuiles, vrbanos, chriſtianoſque mores redolere conſpexerim, valde dignas cenſui, vt ad commune ſtudioſorum commodum typis mandentur.

D. Homobonus de Bonis Clericus Regularis S. Pauli, ac in Metropol. Eccl. Pœnitentiarius pro Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Card. Archiepiſcopo Bonon.

Vam bellè, quàm strictè, quàm doctè, quàm piè D. Dominicus Cæsarius loquatur his suis epistolis, quisque viderit, si eas ex animo perlegerit. Equidem fateor, me ex illarum multa varietate, singulari eloquentia, perpolita elegantia, honesta grauitate, accommodata subtilitate, ac doctrina maximam percepisse animi oblectationem; &, quod caput est, animaduertisse, ex ijsdem humanorum morum documenta quædam, ac præscripta non vulgaria, sed christianæ pietati, ac religioni maximè conformia effluere, tamquam ex vberrimo quodam fonte; vt propterea tandem illas imprimi posse in commune bonum censuerim.

Ergo imprimantur.

Frater Hioronymus Onuphrius Romanus Theologus Doctor Bononiæ Collegiatus, atque ibidem Lector publicus, ac Sanctissimæ Inquisitionis Consultor pro Reuerendissimo P. Magistro Paulo de Garrexio Bononiæ Inquisitore.




DOMINICI CÆSARII

EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA I.



EPISTOLA I. Romam.

IOANNI ANGELELLO
Illustriss. Senatus Bonon. apud Pont. Max. Paulum V. Legato Ordinario.



GRAVISSIMA istius Legationis cura, vnde negotiorum seriem nihil interruptam pendere nõ ignoro, in illam opinionem me adducit, aures tuas, vir Illustrissime, rebus serijs

iugiter assuetas, silentio magis coli, quàm assiduo litterarum strepitu obtundi debere. Hinc fuit, cur post tuum discessum rarissimè ad te scripserim. Sed nihil peccasse iudicabor, qui verborum inopia tuì obsequium prosecutus sum. Quare ęquo animo feras, vt quo tempore nullus ferè hominum apud patronos silet, ego clientelam meam tibi per litteras sistam. Non ero molestus, officij mei exequendi studiossus. Et licet sim, malo verbosi, quàm ingrati hominis notam subire: cum hinc semper vitium, illinc vt plurimùm necessitas arguatur. Ex meis litteris molestiam exclusi. Ideo breuiter scribens, imminentes Christi Natiuitatis dies tibi felicissimos precor. Faxit Deus, vt rerum exitus omini meo, ac tuis, quæ finem ignorant, meritis respondeat. Interea patrocinio tuo me complecti ne desistas: cui licet impar sim; tamen liberalitas tua eo clariùs fulserit, quòd hominem nisi alia re, humillimo saltem tuì cultu meritum fouebis. Bononiæ.

EPI-

EPSITOLA II. Bononiam.

MELCHIORI ZOPPIO
In Bonon. Archigymnasio Philosophiæ Professori Ordinario Collegiato.

CVm plurimi laudatorum virorum laudes fieri videam, propterea de facie vix notus, nihil certè meritus à te laudari erubesco. Sicut enim qui ex mari bibit, ex omnibus fluuijs bibere non falsò opinatur; ita qui laudes ex ore tuo in se fluentes excipit, ab omnibus encomia degustat: cùm ista in te, per meritorum alueos, non secus, ac fluuiales aquæ in vastissimũ Oceanum deriuentur. Te Oceanum appello, vnde aurium nauibus merces pretiosissimæ conuehuntur: adeò vt qui diuitiarum cupidus istuc accedit, margaritis philosophicis ditissimus recedat. Postea quàm pro beneficio accepto gratias egero (quas ex animo ago) illud te etiam atquè etiam rogo, vt, quando hanc vnam apud me laudis causam agnosco, nempè quòd à te Philosopho omnium præstantissimo laudor, alte-

rum, dico, beneficium adiungas, me in tuorum clientum numero adſcribas. Multum enim tibi debere non recuſo, cùm ſummis viris debitum debitoris laudibus adſcribatur. Ex Villa Caſalechij.

EPISTOLA III. Bononiam.

RODVLPHO CAMPEGIO Comiti.

QVid de tuis poeticis operibus ſentiam, ex præſenti elogio, quid præcipuè de nouiſsimo heroicis carminibus ſcripto, cui titulus eſt, Lacrymæ Beatiſsimæ Virginis, ex iſtis litteris facillime cognoſces. Me vix illarum lectionem ardenti animo aggreſſum, lacrymæ quaſi turba, ingruentes aggrediuntur: vt, niſi plus animi fuiſſet ei, qui prior periculum intulit, ab oculis lacrymæ, lacrymas è manibus detruſiſſent, ſeu potius in ipſis manibus deleuiſſent. Illæ opprimendi ſtudio, ſuper iſtas concidere non deſiſtunt: cùm tandem aliquando ſentientes, ſe à la-

crymis, ne post vitam lacrymentur, compellatas, eisdem defixæ inhærent, gratias agunt, inter oscula, quæ ex amantissimi doloris scaturigine manant, certatim lacrymantur. Et re vera impij lectoris esse iudicassem, à lacrymis abstinere: dum Auctor pijssimus ab intimo cordis fonte, per calamum, quasi per fistulam, lacrymarum aquas liberalissimus emittit, quibus animorum nostrorum horti libidinum æstu arescentes irrigantur. Quàm multum, Comes Illustrissime, tibi acceptum referunt, qui rerum naturam perscrutati sunt! cum prævalidam, adultamque illorum litem, num Cycni morituri voces, cantus nuncupandæ sint, an gemitus, absque vllius damno composueris. Tu namque re, non verbo Cycnus, Auctoris vitæ morti, animo coniunctus, ad sanguinea sacratissimi corporis vulnera, quasi ad Meandri vada abiectus, vna eademque opera, cantus, ac gemitus promis. Itaquè iure optimo licet affirmare, te amarissimè canere perinde, ac dulcissimè lacrymari. Illud verò in te præcipuè laudandum censeo, quòd sicut

per lacrymarum maria, Mariam dolorum Aquilonibus à filij morte grauissimè flantibus, agitatam quasi Apelles, verborum pennicillo, pijs mentibus contemplandam demonstrasti; sic ipsam ad lætitię portum, post filij resurrectionem, appulsam obijcere non recusaueris: vt qui cum Deipara, pietatis suasu, lacrymati sunt, cum ea, pari iucunditate perfruantur. Ex Villa.

EPISTOLA IV. Bononiam.

FRANCISCO SCORTIAE Societ. Iesu Presbytero in Bonon. Collegio Casuum conscientiæ Professori.

CVm te iam pridem, præstantissime Scortia, nouissem, plurimum iucunditatis precepi. Quicquid enim in litteris pulcrum, & delectabile, in te æquè, ac in lucidissimo speculo sum contemplatus. Sed longè clariorem te mihi ostendit præfatio, qua ad sacramentorum materiam, in isto Societatis tuæ Collegio, prolusisti.

Quàm dilucidè (optime Deus) quàm aptè, quàm elegãter Christum Nilo, septẽ sacramẽta, septem fluminis eiusdem ostijs comcomparasti! Audientibus licebat res sacras ex sanguineo Christi pectore non minùs, quàm Nili aquas ex Paradisi fonte gurgitatim fluentes inspicere. Tunc Philosophicum illud animo subijt. *Loquere, vt te videam*. Te namque eruditissimè locutum, quolibet scientiarum genere eruditissimum vidi. Et hoc certè non vulgari admiratione dignum videatur, quòd alij vna, alterauè scientia, tu omnibus omnes antecellis. Quis igitur audaciæ vitio adscribat, si te honoris causa litteris appello? Virtus à summis locis amorem, ab infimis obseruantiam desiderat. Vale. Ex villa.

EPISTOLA V. Carthusiam.

ANGELO IACOMELLO Monacho Carthusiano.

MVnus, quod mihi ad Reuerendissimum Abbatem de S. Petro, eiusq.

fratres deferendum misisti, tuam beneuolentiam, illorum decebat religionem. Itaquè non temerè factum est, vt illinc donantis prudentia, accipientiumque simul constarent merita. Sicut à te muneris exhibitionem, ita gratias tibi agendi onus ab eis libentissimè suscepi. Tu libenti animo verborum officium accipias, non tuæ liberalitatis præmium, sed de Sancto Petro familiæ grati animi testimonium. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA VI. Mutinam.

BARTHOLOMAEO BELVEDERIO
Societ. Iesu Presbytero.

ÆQuè perindè, ac prudenter florum semina desideras ab eo, cuius sterilitas nihil spei fructuum pollicetur. Quę tu petis, nullius momenti, quæ ego tua causa cupio, maximi sunt. Hinc fit, vt, quamuis tuum mandatum diligentissimè curauerim, tamen quod debeo, non videar persoluisse, desiderio meo parùm obsecu-

secutus. Sed cùm rem clariùs inſpiciens, in minimis etiam rebus perficiẽdis (ſi hilaritas animi appareat) multum laudis paratum agnoſcam, Indici Calami ſemen ad te mitto, eoque libentius, quòd vbi flos rubei coloris aſſurrexit, ruborem meum oculis tibi obijciet; cùm me nullius meriti hominem in amicitiam tuam receptum, primariorum hac ipſa, cum voluptate, fruentium numero adſcripſeris. Vale, & amicum recentem foue. Bononiæ.

EPISTOLA VII. Ferrariam.

CLAVDIO ACHILLINO
In Ferrar. Gymnaſio legum Intepreti Primario.

LVcubratiunculas meas (iſtud enim nominis earum exilitas poſtulat) acerrimo iudicio tuo libentiùs ſubijcerem, niſi cõſuetam deſiderij fruſtrationem pertimeſcerem. Cùm enim neceſſariam cenſuram auidiſſimus expectaſſem, ſuperfluentem laudem retuli. Nec ideò ſum admiratus:

quia

quia genius tuus liberalissimus in clientum laudes facillimè propendet; vt homines non immeritos in tanti viri amicitiam recipi demonstret. Præsagit quidem animus mihi censuram quærenti, audaciæ incusationem imminere; quippe qui publicas occupationes tuas interpellare non dubitem. Illud non peto, vt occupationibus aliquid subtrahas; verum vt cognomento Achillinus, Achillis mores interdum æmuleris. Sicut ipse animum grauissimis curis distentum fidibus relaxabat; sic tu à consuetis laboribus ad mitiores musas redi. Postea quàm præsens elogium, immaturum ingenij mei partum legeris, nulla modestię, aut amoris rationis habita, quid sentias, rescribe. Iudicij, credo, laborem ne prætendes: cùm alienis rebus iudicandis nihil laboret, sub cuius iudicij pondere ingenia robustissima laborant. Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA VIII. Bononiam.


HIERONYMO BVCCAFERREO In Bonon. Archigymnasio legum Professori Ordinario Collegiato.

SI vires in eo, quod mihi per filium tuũ Alexandrum iussisti, æquales gradus cum voluntate contollent, nullam spei de me conceptæ frustrationem senties. Sed timeo, ne de ingenio meo nimis altè sentias, de tuo coniecturam facias. Sicut enim optimi viri alios etiam optimos facillimè credunt; ita doctrina præditi hanc ipsam (dummodo absit superbia) ab alijs non excludunt. Attamen negotium quàm primùm aggrediar, vt saltem diligentiæ nomine me dignum exhibeam. Exitus verò nisi & tuis meritis, & desiderio meo respõdeat, hoc certè assequar, vt me longè supra vires, tua causa cupidum, & à bona fortuna magis, quàm ab animi gratitudine alienum cognoscas. Ex Villa.

EPISTOLA IX. Firmum.

PETRO PERATTINO
In Firmano Gymnasio legum Interpreti Primario Vespertino.

PRæsentium litterarum allator mecum amicitiam, cum alijs quibusdam, de re familiari discordiam nutrit. Illius recuperandæ spem in tuo patrocinio collocauit, idque per me interpretandi est cupidus, cuius precibus te nihil negari non ignorat. Virum summæ integritatis, tui obseruantissimum, officiorum memorem tibi commendo. Huic si præstò sis, duos simul iacentes, eadem opera, subleuabis. Illum, qui fortunas patrui distractas deplorat: me, quem amicitiæ leges eiusdem fortunæ consortem requirunt. Bononiæ.



EPISTOLA X. Mutinam.

LVDOVICO SCAPINELLO Philosopho.

SOrtem apud me peculiarem, Scapinelle sapientissime, agnoscas, qui corporeis oculis captus, acutam mentis aciem longissimè intendis. Atque in eo potissimùm agnoscas, quod officia ab alijs, cunctatione ommitti solent, mea per celeritatem retardantur. Te in patriam rediturum salutare constitueram, honoris, & officij causa.: vt scilicet me amicum tibi addictissimum (quod iam pridem animo feceram) tandem aliquando præsentia sisterem, inde pro tuis in meum ad Hieronymum Prætum elogium laudibus gratias agerem. Sed audiui, improuisum de matris morbo nuncium hinc te celeriùs, quam cogitaueras, abstraxisse. Statim sensi, prauam vnius animi affectionem, mœstitiam dico, duorum, filij & amici animis inhærere. Officia igitur, quæ ore deprompta, spero, non recusasses, è stylo, quin animo fluen-

fluentia liberaliter admittas: ne quicquid mœroris ex debito, nulla tamen culpa, prorogato contraxeram, eiusdem aspernatione augeatur. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XI. Bononiam.

HIERONYMO PRAETO.

QVod nusquam vidi, neque audiui, ex dissidio amicitiam comparari, experimento sum edoctus. Præteritis diebus, cùm istic de re litteraria, inter litteratos viros, sermo agitaretur, ego sententiam meam rogatus, à te penitus dissensi; non vt amicis ea in re tibi aduersantibus assentirer, verùm vt opinionem meã ingenuè patefacerem. Itaquè in amicitiam tuam intraui, eo deprecatore, quo alij iam receptum detrusissent. Nosti huius sęculi homines adeò sibi placere, vt quibus adulatio imparata sit, immortale odium paretur. Quid huic dissidio conciliatori debeam, non satis queo explicare. Illos interroga, qui amicitiam tuam, auro contra,

æsti-

æstimandam affirmant. Verùm apud quem non plurimi esset vir moribus perinde, atquè cultu lepidissimus, optimis artibus egregiè institutus, in primisque Poeta celeberrimus? ceteris præstantior, quo scriptis iam editis parcior? qui (vt alia ommittam) Salmacis fontis infamiæ notam, artificioso atramento deleuit? Mihi operum tuorum parcitatem cum alienorum, quæ extant, abundantia comparanti, statim animo assurgunt düæ istius Ciuitatis turres primariæ: quarum alteram longiorem Asinellorum nomine, elatis supercilijs, alteram Garisendorum, sed maiore artificio extructam, arrectis mentibus, prętereuntes aduenæ suspiciunt. Si ceteras laudes tuas silentij lapide occludam, eadem opera, inuidis ora occludam: ne liberalitatem, quòd me amicorum tuorum numero adscripseris, ençomij prolixitate compensatam, audacissimè deblaterent. Quare, vt tua merita paucis comprehendam, hoc mitto elogium, perpetuum mei erga te honoris testimonium. Lege, & vale. Ex Villa Casalechij.

EPI-

EPISTOLA XII. Romam.

IO. FRANCISCO ANGELELLO.

QVàm aptè cognomini respondeas, Angelelle, multi, ego primarius testis sum, nihil in te fictum, nihil simulatum, sed omnia pura, & aperta reperiri, diuturno experimento eruditus. Addo animi altitudinem, quæ illud solummodò abiectum censet, quod elationem, & fastum respiciat. Humanitatem tibi ingenitam, vel absens mihi aperiendam existimasti, cùm de tuo istuc aduentu certiorem fecisti. Pro ista re gratias ago immortales, & cum optima salute contigisse perinde lętor, ac si secus accidisset mœrerem; sine modo inquam: quia, quicquid rerum est, vt tibi prosperè fluat, desiderium apud me modum non habet. Si crebras (quod consuetæ liberalitatis impulsu polliceris) litteras ad me miseris, mittes etiam quod absentiæ tuæ molestiam valeat delinire. Interea quem gratiæ tuæ parem iudicasti, iussis non imparem declara. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XIII. Bononiam.

IO. IACOBO FERRO.

STatim vt Rhetoricæ compendium miseris (quod per litteras te missurum polliceris) ego quicquid occupationum est, mittens, perlegam: non (quemadmodum per modestiam petis) vt emendem, sed vt rhetoricè, hoc est aptè, ornateque ingenij tui extollendi artem percipiam. Illud enim dum parit, Deam Laudem suis fœtibus obstetricem meritò requirit. Vale. Ex Villa Casalechij.

EPISTOLA. XIV. Bononiam.

ANGELO MICHAELI SACCO Philosopho Collegiato in Bonon. Archigymnasio Medicinæ Professori.

PIctorem communem amicum ancipiti syllabæ comparo. Breuis, & longus est. Illud corpore: hoc opere. Sed duplicem (quod video) picturam exercet, lin-

gua, & penniculo. Siquidem non minori artificio mendaciuncula mellitis verbis, quam imagines aptis coloribus vestis. Is quoniam Pictor est, genium suum ad aliorum ingenium, & præcipuè ad tuum fingat; de picturis fidem ne frangat. Tu interim sustine, vt in longùm possis, à spe celeritatis abstine, & vale. Ex Villa.

EPISTOLA XV. Forosempronium.

MICHAELI ANGELO ACTIO Protonotario Apostolico.

ILlud etiam huic augustissimæ vrbi debeo, quòd mihi eam incolenti quamplures amicos in varias Orbis terrarum oras dispulsos videre, & alloqui contigerit. Quis verò te carior, & necessitudinis vinculo coniunctior? Tui amantem me Natura concepit: Infantia produxit: Pueritia nutriuit; Adolescentia adauxit: Iuuentus confirmauit. De in quis à patrijs laribus remotior? Ne vltimis quidem Italiæ finibus contentus, in Germaniam abijsti

sti Illustrissimi Apostolicæ Sedis Nuncij seruitio addictus. Is personarum spectator, generis tui nobilitatem, animi candorem, modestiam, in florenti ætate rerum vsum, & prudentiam doctrinæ non vulgari adiunctam contemplatus, te vnum negotiorum summæ præfecit, vt potè quem in vtramque aurem tamdiù dormire posse experientia docuisset, quàm diù integerrimæ fidei tuæ, quæ neque amore, neque odio corrumpitur, acquiesceret. Et tamen te hac iterfacientem vidi, salutaui. Sed qualem vidi? Ob dulcissimi fratris Antonij Mariæ, qui patriam vniuersam (quòd secum Musæ interijssent) mœstam deseruit obitum, pulla veste indutum. In luctu, ac squallore iacentem non dixerim. Cùm enim amici partes haud negligendæ, piaque defuncti memoria illud commonerent, vt, postea quàm propriam animi ęgritudinem intimo corde conceptam explicassem, te ad acerbissimi casus tolerantiam adhortarer, satis intellexi, quicquid beneficij ceteris non meliore fortuna vtentibus, longa dies elargiri consueuit, te à ratione,

& consilio impetrasse. Sed, ne vulnus, quod iam consenuit, manu quasi admota, recrudescat, hæc missa faciamus. Te, inquam, vidi: sed fugientem vidi. Illud affirmabas, Bononiensis Ciuitatis pulcritudine, ac magnificentia te inuitari, allici, detineri. Veruntamen comitum discedendi celeritatem causatus, hic non diem ipsum contriuisti. Cùm igitur raptim inuicem congressi fuerimus (siquidem nihil supra horam nobis datum est ad loquendum) gratissimo colloquio tuo fruendi cupiditatem potius auctam, quàm imminutam, nedum expletam sentio. Nunc, quia fato disiungimur, litterarum fructu, amicitiæ alimento ne careamus. Quod libens vt facias, en prolixus te ad scriptionem appello. Bononiæ.

EPISTOLA XVI. Mundulphum.

GASPARI OLIVAE I. C.

MEa in te beneuolentia à morum tuorum suauitate scaturiens, illud animo

mo influit, vt aliquid temporis occupationibus, quæ multæ sunt, demptum, petitioni tuæ facillimè impendam. Illud verò libentiùs facio, quod modestia, quasi Remora te vsque adhuc morata est, quò minus opera mea non semel tibi oblata vsus fueris. Itaque statim vt ea vti libuit, mihi pariter libuit munus à te demandatum subire. Vt primùm confecero, ad te scribam, vtque seriò potiùs, quàm serò possim, omnem lapidem mouebo. Vale. Bononiæ.



EPISTOLA XVII. Mutinam.

PHILIPPO MARIAE DE MOLSIS Comiti.

CV'm tu occupationes meas æquè, ac tuas cognoscas, cur mihi parciùs scribenti non ignoscis? Si voluntatem respicias, singulis diebus, singulis horis scribo; quin assiduè tecum sermonem agito. Si rem spectes, curis non exiguis illius exitum præpedientibus, longè absum à cul-

pa. Tu ne longe absis ab indulgentia, amicitiam nostram strictis adeò legibus haud coarcta, quę si necessitatis duritie frãgantur, te potiùs inclementem, quàm me amicitiæ violatorem declarent. Bononiæ.

EPISTOLA XVIII. Bononiam.

ANDREAE MARIANO
Philosopho in Bononien. Archigymnasio
Logicæ Professori.

EA est à scriptione tua delectatio, vt mihi in tantis molestijs illud iure optimo liceat vsurpare. *Tamdiù acquiesco, quamdiù ad te scribo, vel tuas litteras lego.* Verùm huiusmodi voluptas in ijs haud censenda, quæ in ipsa possessione amittuntur. Perennis est, atue æterna, quam perennis, æternusque fructus consectatur. Felicem me vndique appellarem tantis delicijs circumuentum, nisi hoc vnum angeret, quòd non antea ad amicitiam tuam aditum mihi patefeci. Si in istam intrassem, vt primùm Bononiam intraui, nunc

lætus

lætus fortunam laudarem, quæ nihil ad ſummam fœlicitatem mihi deſiderandum reliquiſſet. Iam verò ipſam indignabundus accuſo, quæ vſque adhuc iniquiſſima tanti boni me fecit expertem. Illud tamen ſolatio eſt. Præſtat ſerò quàm numquam. Imò cùm menti obijcitur, iſtic me quadriennium laceraſſe, quo tantum abeſt, vt conſuetudine tua fruerer, vt nec etiam de facie te nouiſſem: nunc vtrumque aſſecutus, qua iucunditate aſpergor, eadem animo feruentiſſimo perfundor. Quare temporis tarditatem delectationis gurgitatione compenſo. Vt verò ad ſcriptionis fructum reuertar, dum me adſcribendum prouocas, illud efficis, vt quod vrbis magnitudine interdicitur, etiam diſiunctos inter nos colloquamur. Si iſtud beneficium codicillis, qui linguæ officio funguntur, acceptum referamus, eos in dies liberaliores experiemur. Enimuerò latiali idiomate honeſtati, ne gratitudine animi ſuperentur, nos ad rectam ſcribendi ſemitam, quaſi manu ducent. Meum de mutuis litteris conſilium habes. An tu idem ſentias,

ignoro. Si ex compacto rem agimus, magnus à scriptione fuerit quæstus. Sed Clèretam Plautinam audi.

— *necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum.*

Sumptus vires nostras non excedit: quin adeò tenuis est, vt Iri etiam tenuitati acquiescat. Totus ab Exercitationis templo, vbi ærarium est, vel inconsulto Senatu, proferendus. Illuc ergo (quisnam prohibet?) alacriter accedamus, mutuis litteris frequentissimè vtamur. Equidem (quod meum est) exploratè tibi polliceor, me nunquam scribendi officium (licet occupationes iugruant) intermissurum. Tu idem si feceris, nihil nobis desiderandum supererit. Vale. Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA XIX. Bononiam.

FABRITIO BARTOLETO Philosopho, & Medico in Bononien. Archigymnasio Chirurgiæ Professori.

POst quinquennalem ab amicis, & consanguineis absentiam, liber atque incolumis, vbi genitus sum, remeaui amãtissimis omnium complexibus exceptus. Quò circa illud si affirmauero, patriam sedem non parum delectationis mihi afferre, fidem adhibeas. Nosti Ouidianum illud.

Dulcis amor patriæ, dulce videre suos.

At si delectatio cum solicitudine, quam tua parit absentia, æqua lance suspendatur, quisque istam multo grauiorem iudicabit. O fortunam felicitati meæ iugiter inuidentem, quæ in hilo dulcedinis, ad satietatem oggeris amarorem! Sed iam cessent querelæ, & ad rectam iudicandi regulam animus reuocetur. Is rationis imperio acquiescens, secum ipse reputet.

Si-

Sicut dapes, quæ melle, aut saccharo abundè condiuntur, gula fastidit; quæ rebus acidis, dentes obstupescunt: quæ contrariorum immixtione palato suaues fiunt; sic iucunditates animo gratiores censeri, quibus aliquid mœroris immiscetur. Vale. Forosempronij.

EPISTOLA XX.

FRANCISCO PALAEOTO Protonot. Apostolico, Bonon. Archidiacono, & in Bonon. Archigymnasio Instit. Interpreti.

SI amicorum precibus aures præbuissem, quem ad te mitto libellum, per Typographi manum iam pridem lucem aspexisset. Sed quid vis potius mihi suaderi patiar, quàm ingentem rerum mearum æstimationem. Istud laboris eo animo suscepi, vt nonnullis patricijs gratum facerem, qui mutua verborum officia accommodatè præstandi desiderio tenebantur. Tibi igitur ingentia nobilitate, inter

pri-

primarios huius Ciuitatis iuuenes adscripto, Archidiaconatus dignitate confirmato, ex mea iam diù confirmata animi sententia, munus debebatur. In eo, qualecumque est, perpetuum erga te obseruantiæ testimonium agnosce, neque rem ipsam adeò attende, vt voluntatem meam post habeas. Quoniam sicut in paruo signo non paruæ imaginis symetria potest dignosci; ita in exili munere donantis magnitudo animi continetur. Bononiæ.

EPISTOLA XXI. Bononiam.

ANTONIO GANDVLPHO
Philosopho in Bononiensi Archigymnasio humaniorum litterarum Interpreti.

BOnoniensibus ciuibus tantum me debere fateor, quantum lingua non potest exprimere. Per multos enim annos me humanissimè habitum, vt summam liberalitatem exercerent, Doctoratus dignitate gratis honestare voluerunt. In ijs eru-

eruditissime Gandulphe, iure merito non infimum locum tibi vendicas; qui singulis ferè diebus me amantissimè allocutus, res tuas, quinimò te ipsum offerre consueueris. Te virum rebus magis, quàm verbis largum existimaui, potissimùm verò cognoui, cùm Ioannem Lagum amicum meum, qui opera tua apud celeberrimum istum Philosophorum Collegium indigebat, commendaui. Enimuerò ea molitus es, vt ille, cunctis suffragijs in vnum coeuntibus, voti sui compos factus sit. Quo animi adfectu res meas curares, si quæ amicorum sunt, studiosissimè complecteris? Animi mei gratitudinem cum gratiatiarum actione in istis litteris complectere, & vale. Casalechij.

EPISTOLA XII. Mutinam.

LVDOVICO LADERCHIO.

Dicterium illud à Poeta, supra fidem poeticam, expressum

— minuit præsentia famam,

apud

apud me Auctorem fefellit. Tantum enim abest, Laderchi, vt de tuis virtutibus æstimatio, quam fama animo ingessit primo tecum congressu decreuerit, vt potius multum accessionis factum credam, & sentiam. Neque mirum profectò. Virtutes montium naturam æmulantur, qui licet absentibus ingentes appareant, præsentibus tamen longè grandiores assurgunt. Equidem audieram, te optimis artibus non mediocriter instructum. Sed, vt primùm tui alloquendi oblata est occasio, famam à te superatam intellexi perindè, ac fides experientiæ alacrior, quàm famæ acquiescit. Si antea igitur animi tui dotes auribus tantùm inculcatas obseruabam, quid oculis expositæ suis meritis vendicabunt? Quid vendicent, satis video, sed satis nequeo explicare. Hoc vnum profabor, quicquid honoris iuueni varijs disciplinarum generibus ornato, egregijs moribus exculto debetur, id totum à me tibi, animo nihil simulato, exhiberi, re ipsa, si locus detur, præstaturo. Qua voluntate erga te sim affectus, non ore, sed scri-

ſcriptione aperiendum iudicaui. Hæc enim quamuis ob ſuam infantiam, parum exprimat, nullum tamen à claudicante officio ruborem timebit: quia *litteræ non erubeſcunt*. Mea, repeto, in te propenſio fuit aperienda: quæ amicorum vocibus iam diù apud me concepta, & iiſdem quotidie magis enutrita adeò creuit, vt à primo inter nos de rebus litterarijs colloquio, anguſtias clauſi pectoris aſpernata, in lucem aſsiduè geſtierit. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXIII. Bononiam.

HYACINTO BVCCAFERREO.

PAtris tui humanitatem noui. Ideò non miror, ſi amici mei ſcriptionem, quam legale conſilium nominant, auctoritate ſua confirmauit. Hinc eius in me amoris indicia adeò confirmantur, augentur, vt nulla gratiarum actio videatur ſuppetere. Quid ſi habeam? Certè non referam. Sed, cùm nihil aliud, quàm habe-

re penes me sit, id vnum pater tuus à me libens accipiat. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXIV. Vrbinum.

PETRO GALEOTAE I. C.

QVo fato acciderit, nescio, vt proximæ tuæ Idibus datæ, nudius tertius manus meas attigissent. Qui litteras à Tabellarijs vndique collectas viritim distribuit, nullo pacto accusandus, cum in ijs, quæ meæ sunt diligentiæ deferendis, ipsum nihil debeat pœnitere. Quæ igitur culpa prorogatæ rescriptionis fato adscribenda, in me nequaquam deriuetur. Quòd Doctoratus dignitatem mihi ex animo gratularis, ex animo gratias ago. Sed istud officium superuacaneum, licet mihi gratissimum, dixerim, quod tacito amoris erga me tui testimonio persolutum censebatur. Neque occasio tam vrgens fuit, vt litteras vrgere debuisses. De causarum ciuilium Rotæ Auditoribus nihil scribendum occurrit. Nosti, biennio iam elapso,

Ro-

Rotam ab Illustrissimo Senatu innouatam, quæ lustri spatio vix gyrum lustrat. Interim, si qua vacatio fortè fortuna euenerit, faciam te certiorem: vt de meo, in rebus tuis curandis, studio nihil imminutum intelligas. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXV. Durantem.

LVCIO DE LVCIIS I. C. Durantinæ Collegiatæ Præposito.

AD proximas tuas pro amico de meliore nota commendaticias satis fuerit rescripsisse, quicquid ipsum de te, de me pariter, æqualiterque sibi posse polliceri. Cùm enim vetus amicitia animos nostros ita conglutinauerit, vt eos vnum, & eumdem nemo non iudicet; propterea quę tu vis, ego velle debuero. Sed vires ex voluntate ne metiaris. Hæc nullis finibus potest contineri: illæ se longiùs interdum extensuræ, negotiorum difficultate repelluntur. Bononiæ.

EPI-

EPSITOLA XXVI. Bononiam.

ANDREAE MARIANO
Philosopho in Bononien. Archigymnasio
Logicæ Professori.

CONgressus tui delectatione adeò perfundor, vt si Bononiam versus iter faciens, me appellasses, non modò bellaria, sed primas etiam mensas omisissem. Quin ratus, te longè à prandio in vrbem rediturum, Felcsinense fundum peto, rusticos interrogo. Respondent, te equis albis citiùs abijsse. Tunc amanter iratus. O hominem, exclamo, nimis pauidum, qui amicos sui studiosissimos veretur salutare! Verùm, vt quod sentio, ingenuè loquar, modestia, quam peculiarem habes, huiusce iucunditatis me fecit expertem. Quod attinet ad communem amicum, à Medici opera quid timeam? Fortunam potiùs rebus meis aduersantem timeo. Adsit, qui corporibus, & animis nunquam frustra medetur, Æsculapius ille verè diuinus:

quem extra, ſanam medicinam ſperare, nugæ omnino, & gerre. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXVII. Foroſemproniū.

MICHAELI ANGELO MEGANINO.

DE negotio, creberrima inter nos ſcriptione, agitato illud neceſſe eſt, ſi ſupræmam (quod vulgo aiunt) manum addere deſideras, vt annuam mercedem tibi aſſignandam poſtules: nec quod totius rei ſummam continet, in arbitrium meum reijcias. Cur enim haud petas, quod proprijs laboribus retributum licet accipere? Ea de re quid ſtatuas, anxius expecto, & quàm primum reſcribas, rogo; ne quod vnis litteris expediri poteſt, pluribus prorogetur. Illud amanter moneo, ne tantum modeſtiæ libeat adſcribere, vt rebus tuis optimè conſulendi facultatem amittas. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XXVIII. Melitam.

LVDOVICO DE S. PETRO Equiti Ierosolymitano.

IN Melitensem Insulam te incolumem peruenisse, eo lætior audiui, quòd multa, nec quidem prospera de te fuerũt nunciata: quæ, quoniam

Res est soliciti plena timoris amor,

apud tui amantes non dubiam fidem inuenerunt. Animus meus, vt ista percepit, in vtramque partem est agitatus. Hinc illud Taciti occurrebat. *Nihil tam capax fortuitorum, quàm mare.* Illinc rumoris, qui serpebat, origo studiosissimè perquisita, cùm nusquam appareret, pro comperto habui, nuncium mendacis famæ plumis ad nos delatum, non secus, ac plumam, seu fumum in auras euasurum: quod contigisse ex tuis litteris postea cognitum est. Mihi igitur gauisus, tibi gratulor, simulque admoneo, vt causam, quæ te nondũ ex ephœbis egressum ad longissimæ viæ labores, & incommoda impulit, præ oculis habeas:

 beas:

beas: candida istius primarij Ordinis insignia, quæ assecutus es, candidis moribus honestes: nullam gentilitiæ nobilitati iniuriam afferas: neque tantum ætati concedas, vt præstantissimi omniumque fama celeberrimi Equitis officium asperneris. Ijs monitis cumulatè satisfeceris, si ex prudentissimi Equitis Opicij Guidotti de te curam gerentis præscripto viuas. Quæ amor scribenda dictauit, te non modò nihil ægrè laturum, verùm memori animo condita, maturè, ac diligenter executurum confido. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXIX. Florentiam.

FRANCISCO ALAMANNO.

CV'm de tuis scriptis à me iudicium quæras, patere, vt sine fuco iudicem. Ea non admiror: & tamen plurimum laudo. Non admiror, tàm aptè, tàm eleganter scribendi causæ haud ignarus. Ea est ab origine, ab educatione. Originem præbuit Ciuitas, quæ non magis nomine,

quàm

quàm optimis ingenijs floret. Educationem Academia, vbi adolescentuli Doctoris præstantia, ad optimas artes ardentissimè incitantur. Plurimum laudo, quia origo, & educatio non multum, sine tuo labore, profuissent. Hinc discant ceteri iuuenes studium, & laborem ad discendi facultatem accommodare, illud non obliti. *Profectus constat diligentia*. Bononiæ.

EPISTOLA XXX. Bononiam.

CAESARI RINALDO.

PErmulti familiares mei epistolarum tuarum, quæ nouissimè in lucem prodierunt, lectione delectati, non raró mihi aures obtundnnt, vt te ad alteram partem in medium proferendam adhorter. Ijs non semel respondi, te quicquid cogitationis est, illuc adeò intendisse, vt, si quis vel amicissimus lucubrationes poeticas, vel aliud quidpiam à te petat, non impetret; vt potè ab eo, qui publicæ vtilitati addictus, priuatam omninò aspernatur. A stimulis tamen

men non cessant, quos volunt tibi, licet currenti admoueam, spatium maturo partui à Natura destinatum iniquo animo sustinentes. Immoderatæ istorum cupiditati, amabò, indulge, illud Symmachi ad patrem præ oculis habens: *Solent impatientes dilationis esse, qui sperant in se aliquid muneris conferendum*. Præterea labores tui quanti sint apud homines, illinc lætus agnosce, quòd dum facis, calamum ange. Statim vt alteri epistolarum volumini colophonem imposueris, ne comprime, sed satis omnibus facturus, prælo comprimendum trade. Scio non auram popularem laborum tuorum finem tibi propositam; sed ista meritis tuis se se obijciens, nequaquam videtur excludenda. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXXI. Pergulam.

POMPEIO CLAVDIO I. C.

EA est rerum prosperè fluentium conditio, vt vbi accipientis merita præcedunt,

cedunt, nihil fortunæ beneficio tribuatur: vbi fortuna imperet, nihil meritorum inesse appareat. Nec mirum certè. Ad clarissima namque si caligat, occulta quomodo inspexerit? Quòd verò tu, præstantissime Claudi, in Genuensium causarum criminalium Rotam accitus fueris, meritis, & fortunæ simul adscribendum. Illis, qui te in sortientium numero adscripserunt: huic, quæ opinione tua citiùs te, quod optaueras, sortitum ostendit. Amico igitur meritorum & fortunæ inuicem aduersantium conciliatori, viro inquam prudenti, cuius voluntati fortuna obtemperat, magnoperè gratulor. Campus enim latissimus patet, in quo tua virtus cum laude possit excurrere, seu potiùs exultare. Hinc præsens epistola ad te currit, vt voluntatem meam, quæ cum adepto munere omnia felicissima tibi precatur, patefaciat. Vale. Bononiæ.



EPISTOLA XXXII. Durantem.

LVDOVICO DONZELLO.

CVr te impium non appellem, qui pietatem homini amicissimo postulas auferre? Quin impium etiam dixerim, si excusationem reijcias, cur illam à me tibi non liceat impetrare. Istam imaginem non pecunia, sed pictoris in me beneuolentia à pictore ipso extorsit. Ob id mihi carior: quia quod auro venit, auro contra æstimatur: quod dono accipitur, animi gratitudinem, pretium requirit. Aurum terrestre est: gratitudo animi cœleste aliquid sapit. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXIII. Parmam.

ALFONSO ELEPHANTVTIO I. C.

ET si de rebus aulicis hominem Aulæ minimè aptum interrogas; tamen, ne quæstio repulsam patiatur ab eo, qui nihil supra, quàm cupiditati tuæ obsequi desi-


deſiderat, libens reſpondebo. Cunctis in eam rem conatibus adhibitis, ſi res haud ſucceſſerit, ingenij tenuitatem, non voluntatem accuſabis. Duæ afferri poſſunt cauſæ, quibus Aulici Principum gratia non perpetuò fruantur. Altera, quoniam illi poſteaquàm deſideriorum culmen attigerunt, aliam voluntatem erga Principes induunt. Altera, quoniam Principes, cùm iam nihil reliquum ſit, quod in Aulicos conferant, tedio affecti, eos deſerere coguntur. Hæc Auctor omnium maximè politicus lib. 3. Ann. apertiſſimè indicat, cùm de Mecœnate, & Criſpo Salluſtio iam ſenibus, ſpecie magis, quàm re apud Tiberium gratioſis, cùm antea plurimum valuiſſent, ſic ait. *Fato, potentiæ raro ſempiterna: an ſatias capit aut illos, cùm omnia tribuerunt, aut hos, cùm iam nihil reliquum ſit, quod cupiant.* Cura, vt valeas, & ſi Aulam aliquando ſequaris, lubricæ Principum gratiæ ne fidas. Iterum vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XXXIV. Romam.

IACOBO NARDIO I. C.

QVæ munera ad me misisti grata omninò, & ingrata acciderunt. Grata, quoniam liberalitatis tuæ indicia sunt. Ingrata, quia te nihil de me sine remuneratione tibi polliceri posse ostendunt. Illud si credis, longissimè quidem erras. Is ego sum, qui quicquid operis amicorum causa insumo, haud consumptum existimo. In posterùm, si me vti volueris, ista conditio adsit, vt mercedis locum obtineat delectatio, quam familiaribus, officio, fideque retinendis percipio. Vale. Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA XXXV. Romam.

BERNARDO GVILHELMO
In Rom. Gymnasio humaniorum litterarum Professori Primario.

QVod Hieronymnum Prætum amicum candididissimum nominas, candidæ illius in te beneuolentiæ respondes. Is adeò syncerè de te sentit, ac loquitur, vt quicquid laudis morum tuorum suauitati, doctrinæ, modestiæ debet, id totum nihilo, quàm par est, liberalior concedat. Prætus ea in re, vt in ceteris, est eloquentissimus. Sed non minùs eloquenter tua & soluta, & alligata oratione, scripta te laude dignum, & in Romnano Gymnasio, Romanæ linguæ restauratorem declarant. Hæc breuiter recenseo; non vt te laudem, sed vt ab omnibus, qui sapiunt, laudandum attester. Itaque, si quid in me debiti linguæ officij desideratur, promptissima honoris exhibitio compensat. Sed, ne laudes tuas epistolæ argumentum videar

dear

dear ſecutus, hac de cauſa ſcribere non diffiteor, quia amicitiam tuam, Præto conciliatore, deſidero: non vt omnibus in rebus me tibi æqualem præſtes, ſed vt iucundam litterarum viciſsitudinem, quoties libuerit, exerceas. Bononiæ.

EPISTOLA XXXVI. Medulam.

LVDOVICO ROSELLO.

QVicquid Reuerendiſsimum Abbatem de Sacto Petro rogandum mihi demandaſti, non ſecus, ac tu res meas, nempè ſtudioſiſsimè, curabo, Si de ſumma nobiliſsimi iuuenis liberalitate liceat coniectari, me facilè impetraturum confido. Quinimò ei gratiſsimum acciderit, credo, in te, cuius merita optimè nouit, virtutem omnium laudatiſsimam exercere: cùm omnes aſsiduis officijs complectendi occaſionem perquirat. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XXXVII. Bononiam.

CORNELIO LOLIO.

COEnam à me tibi condictam præstari desideras? Præsta, vt me condictionis ne pœniteat. Adeo enim lautè me excipis, vt familiarium numero videaris excludere. Vt in ijs locus sit, tu conuiuij tui largitatem restringas. Sin minùs meam tecum accumbendi frequentiam cohibebo. Vale. Ex Villa Casalechij.

EPISTOLA XXXVIII. Bononiam.

IO. THADEO BLANCO Comiti.

DVplici nomine petioni tuæ non repugnassem. Altero, ne me à nobilissimo viro mandati honore eximerem: altero, quoniam adeò modestè petis, vt propriæ auctoritatis oblitus, non patronus petere, sed amicus rogare videaris. De inscriptione igitur duabus galearum insignibus,

bus, quæ tuis ſtemmatibus gentilicijs inſident, apponenda, diù multumque mecum animo cogitaui. Et cùm illud potiſſimùm deſideras, vt vnica inſcriptio vtramque imaginem complectatur, eiuſque vel coniunctim, vel diuiſim acceptæ ſententia conſiſtat, præſens carmen haud abſurdum iudicaui.

Candidus eſt intus, robur prudentia firmat.

Priora verba Mauri imaginem decent; quippe quæ eundem, licet ore nigrum, corde tamen candidum declarant: & eo magis, quòd familiæ tuæ Blanchæ cognomini reſpondent. Reliquum carminis colubri collo in caput humanum, quod ore gladium tenet, deſinenti conuenire intelliges. Robur enim gladij typo explicatum ſine prudentia, quam in colubro agnoſcimus, nihil, aut parum poſſe, Cecina apud Tacitum ſic inquiens, oſtendit. *Vnam in armis ſalutem, ſed ea conſilio temperanda.* Quicquid ſterilis ingenij mei agellus ferre poteſt, iam habes. Ex Villa.

EPI-

EPISTOLA XXXIX.

AMICO CVIDAM.

DE tuo amore hominem tui amantem conſulis. Ego breuiter, & amanter cum Phædro reſpondeo.

A feminis vt cumque ſpoliari viros,
Ament, amentur.

Phædro igitur liberto, animo tamen ingenuo ſi fidem adhibes, aut amare ceſſa, aut ſpoliari ama. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXX. Ticinum.

STEPHANO PERVZZINO I. C.

STrenarum vſum, de quo per litteras quæris, non minùs antiquitate, quàm frequentia celebrem fuiſſe, luculenti ſcriptores conteſtantur: quorum cathalogum ne texam, vnus, aut alter inſtar omnium habeatur. Suetonius in Auguſti vita, illud de ſtrenis ſcriptum reliquit. *Omnes ordines in lacum Curtij, quot annis, ex vo-*

to,

to, pro salute eius, stipem iaciebant. Item Cal. Ianuar. strenam in Capitolio etiam absenti, &c. Præterea de Tiberio. *Quotidiana oscula prohibuit edicto. Item strenarum cõmercium ne vltra Cal. Ianuar. exerceretur.* Demum in vita Caligulæ. *Edixit, & strenas ineunte anno se recepturum, stetitq́; in vestibulo ædium Cal. Ianuarij ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus, ac sinu omnis generis turba fundebat.* Illarum originem antiquissimam Q. Aurelius Symmacus aperit, cùm Valentino, Theodosio, & Archadio Imperatoribus inueuntis anni felicitatem precaturus, epist. 28. lib. 10. ita exorditur. *Ab exortu penè Vrbis Martiæ strenarum vsus adoleuit, auctoritate Tatij Regis, qui verbenas frlicis arboris, ex lucu Streniæ anni noui auspices primus accepit, &c.* Strenæ ethimologiam (vt hoc etiam adiungam) optimè declarat Iulius Cæsar Scalig. Poetices lib. 3. qui & Idea, hisce verbis. *Ea de causa prisci Latini strenam, quasi trenam sunt interpretati, à tertia officij repræsentatione.* Sunt qui strenam à strenuitate dictam

vo-

volunt: quòd pauperiores ditioribus, quasi viris strenuis eas mitterent. Hæc sunt, quæ de strenis ad te rescribenda in mentem venerunt. Lege, & vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXI. Durantem.

PETRO FRANCISCO MACCIO I. C.

CVr te, Macci humanissime, vel de facie ignotum, ex animo colam, duplex causa. Altera, morum castimonia variis scientiis exculta, quæ vnanimi ciuium tuorum huc studiorum causa accedentium sermone, non absque ingenti gloria, agitata ferreos quoque animós in tuì obsequium emolisset. Altera, parentis tui ad superos translati pijssima memoria. Huic patria mea optimis artibus, per aliquot annos, instituta; quin Resp. litteraria multis ingeniosissimis illius operibus, & metro, & soluta oratione conscriptis aucta, tantum se debere profitetur, quantum persoluere difficillimum est. Tertiam adderem, tuum scilicet de meis poeticis lu-

ſibus, quos Pierius communis amicus tibi obiecit, iudicium: niſi quicquid optimo ingenio tuo debetur, cùm de meis laboribus optimè ſentis, & prędicas, in exilia Auctoris merita nimis liberaliter deriuaſſes. Hæc ſimul coeuntia me ad ſcriptionem impulerunt; non eo certè conſilio, vt te in neceſſitatem reſcribendi adducerem; verùm vt animus in te meus apertè innoteſceret. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXII. Florentiam.

IO. BAPTISTAE MANZINO.

ANtonius tuus (non dico noſter, ne meritorum magnitudine tecum videar contendere) ſalutationem à te mihi gratiſſimam nunciauit: qua non minùs amanter recepta, adiunxit: Vis ſcire, Cæſari, qualem vitam agat Manzinus? Accipe, lege; &, ſi potes, ride. Epiſtolam abs te lego heù, & doloris plenam; ſed purè adeò, adeò eleganter ſcriptam, vt alterutrum neceſſariò coniecerim: aut tuæ vi-

tæ statum longè minùs infelicem esse, quam asseris; aut te nihil impensiùs animo euoluere, quàm miseriarum apud amicos per litteras deplorationem; quæ vel piæ commiserationis lacrymas, vel gratum consolationis officium hauriat. Si à me lacrymas expetis, spongia sum, tuarum calamitatum aquis in cor meum confluentibus maximè vda. Sin solatius petis, pumex earumdem mœrore, quasi canicula, vrente, aridissimus. Ijs namque non secus; ac meis abrodor, excrucior. Erimus igitur sine solatio? Omni spe destituti, miseriarum turba oppressi,

Vna salus victis, nullam sperare salutem

exclamabimus? Non ita. Auctorem potiùs de fortuna loquentem, taciti audiamus.

Nec quos clarificat, perpetuò fouet,
Nec quos deseruit, perpetuò premit.

Vale, & spera. Bononiæ.



EPISTOLA XXXXIII. Bononiam.

FRANC. MARIAE BVCCAFERREO in Bononien. Archigymnasio Legum Professori.


LApidis inscriptio, quam desideras, ingenij scalpro incidenda est. Istud si durum sit, duriorem efficit scalpturam. Ingenium meum nosti durum, & difficile: vt non mediocriter verendum sit, ne tibi oppidò satisfaciat. Attamen, ne suscepti oneris curam videar neglexisse, labore, ac studio poliendum curabo: vnde acuta illorum acies nulla operis duritie retundatur. Ex Villa.

EPISTOLA XXXXIV. Venetias.

IO. MARIAE MINIOTO Clerico Regulari.

TVa in me, quam diù Bononiæ fuisti humanitas, beneuolentia (dixerim, & pietas) illud postulauit, vt gratias non modò

modò agerem, haberemque; sed etiam reponere optarem. Equidem optaui, sed non impetraui: vt potè, qui beneficiorum sarcina oneratus non adeò breui eam ponere deberem. Iam anno elapso, Forosempronium versus iter faciens, te honoris causa salutaui: nunc per litteras audacissimus adeo, illud exoraturus, vt merita erga me tua non quasi propria, sed externa contempleris; de hinc quid tibi debeam inspicias: ne me deuinctum esse adeò pœniteat, vt sine rubore tua humanitate amplius vti posse desperem. Istud ages, si omni loco, & tempore opera mea vtaris. Vtere, quoniam me, figularem rotam experieris. Vertar quocumque voles. Per aliquot enim annos, quocumque me verti, suauissimi pietatis tuę fructus occurrerunt. Bononiæ.



EPISTOLA XXXXV. Bononiam.

IOANNI RHAMNVSIO
In Bonon. Archigymnasio Sacrarum Litterarum Interpreti Colleg. & insignis S. Petronij Collegiatę Canonico.

QVantum de tua in me beneuolentia mihi pollicear, præsentem amicum interroga: cui, quicquid desiderat, per meas litteras ad te commendaticias euenturum affirmaui, non proprijs meritis, sed multis humanitatis tuæ experimentis fretus. Is Philosophiæ amore patriam reliquit. Verùm, quia fortunis est destitutus perinde, ac à bonis animi egregiè paratus, seruile munus non aspernabitur; dummodo singulis diebus, per horæ spatium, ni vltra, priuatam Doctori operam nauet. Effice (si me amas) vt quid spei in tua auctoritate, suasu meo, collocauit, exitu ipso comprobatum sentiat. Iuuenem fouebis optimas artes apprehendēdi cupidū, sed

ſed qui te virum meritiſſimum iam ſupra ceteros colere appręhendit. Ex villa.

EPIST. XXXXVI. Foroſempronium.

FABRITIO INGENIERIO.

CÆſarem fratris tui filium litteris meis inanem ad te redire duplici de cauſa non ſuſtinuiſſem. Altera, vt animi mei, iam cum de facie haud innotuiſſes, in te propenſionem aperirem. Altera, vt iuuenis (neſcio, an dicam magis caritate, quàm conſanguinitate tibi adiuncti) modeſtiam, probitatem, non indiligentem in ſtudijs nauationem atteſtarer. De hoc ipſo alterum fratrem tuum Gulielmum admoneo; vt, ſi quid hominis non magni pretij teſtimonio deſit, iterata ſcriptione ſarciatur. Vale. Bononiæ.



EPIST. XXXXVII. Forosemprionium.

IO. BAPTISTAE TENALIAE I. C.

CVr tàm arctè, Tenalia, litteras tenes, vt ne rogatus quidem emittas? Vis cognomini respondere? *Silentium* tuum grauatè minùs ferrem, si ab occupationibus, aliouè impedimentorum genere oriretur. Sed illud maximè doleo, quòd in otio diuturno siles. Si quid negotiorum habes, in noctem reijcias, aliquam lucis partem amicis concessurus: vt te diurnis perinde, ac nocturnis laboribus, cum multa laude, occupatum prædicent. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXVIII. Pisas.

FRANCISCO MARIAE CIAMPVLO Equiti S. Stephani.

PAtere, Ciampule amicissime, illud si affirmo, me litteras tuas optatas magis, quàm speratas accepisse. Iam diu de

tc

te nihil, neque à te, neque ab alijs. Quid mœroris ex diuturna absentia, diuturnoq. silentio contraxerim, tibi amicos non simulatè amanti iudicandum relinquo. Nunc Deo, tibique laudes, qui irrogatus scribis: adeòque amanter scribis, vt litteræ tuæ vniuersum maris cursum vsque adhuc confectum, multa necnon varia, quibus diuino beneficio ereptus es, pericula nunciantes, omnem ægritudinem absterserint, mihi me ipsum restituerint. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXIX. Melitam.

IOANNI BARTOLOTTO
Doctori Theologo Bonon. Collegiato, & Equiti Ierosolymitano.

QVod tibi Melitense iter aggressuro, præsagiui, euentu ipso comprobatum, me haud largum nimis meritorum tuorum iudicem declarauit. Equestrem igitur dignitatem tibi delatam gratulor, hac potissimum de causa, quòd illius insi-

insignia eo magis in tuo pectore collucescunt, qnòd alijs, Naturæ beneficio liberaliter donãtur: tibi tuarum virtutum meritis fuerunt retributa. Ista si quis parua dixerit, praua quidem dixerit; cùm à primarijs Europæ familijs iam pridem honestata nemo inficietur. Non tamen adeò magna sunt, vt earum rerum, quæ optimis animi tui dotibus præparantur, finem contingant. Virtus nescia mortalitatis, immortalia pręmia requirit. Vale. Bonon.

EPISTOLA L. Ferrariam.

DVRANTI MINIO
Rotæ Ferrar. Auditori.

LItteræ pro te commendaticiæ iam istuc (ni fallor) deuenerunt. Exemplum, quod petis, mitto: vt meum, omnibus locis tibi obsequendi desiderium sine exemplo esse non ignores. Istæ sunt à Principe, in quo aurum cum ostro, iure tam æquo certat, vt istud non electionis, non illud Naturæ m[illegible]nus, sed vtrumque meri-

torum

torum præmium esse glorietur. Prodeunt ab officina, vbi nihil non purum, non defæcatum. Ab eo, inquam, qui cum epistolas rectè scribendi viam, iamdiu non secus, ac Isthmum interclusam, ingenio, & labore aperuisset, inter viros à secretis Principum, principem locum, vnanimi litteratorum sententia, est assecutus. Itaquè quicquid spei in summi Principis litteris de te (vt par est) loquentibus collocasti, rei euentus non temerè collocatum declarabit. Neque à competitoribus timeas. Si quid enim de petentium meritis inuidia detrahere non dubitat, potentium de illis testimonio religiosè restituitur. Bononiæ.

EPISTOLA. LI. Ariminum.

GAVELLO GAVELLIO.

QVi ventrem Cicadæ scabit, grauem illius fritinitionem auribus nō auersetur. Tu me ad scribendum prouocasti? gratulitatem meam sustineas. Septembrius mensis, quo mihi res domesticas

ſticas compoſituro, in patriam redeundum eſt, obrepit, nec ſentitur. Quid verò nec ſentitur? A me ſatis ſuperque. Vnde quotidianò victui aliquid ſubtraho, vt cùm in via ad te diuertar, venter, qui ab eſurialibus ferijs non nihil reſederit, extructiſſimis dapibus perfruatur. Sed audire mihi videor Gauellum meum ſe ita excuſantem.

Si quid dictum eſt per iocum,
Non æquum eſt, id te seriò præuortier.
Nam meus ſcrupoſam victus comeat viã.

At ego reſpondeo.

Cum calceatis dentibus veniam tamen.

Et ſi adiungas.

Terreſtris cæna eſt.

Ego ſubijciam.

—— Sus terreſtris beſtia eſt.

Denique ſi tu

Multis oleribus.

Ego, vt dialogo finem imponam.

Curato ægrotos domi.

Vale, & me ama. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LII. Ad S. Marinum.

PETRO MIGNINO.

LItteras tuas, quas multi fortaſſe cum ſtomacho, ego albis dentibus legi: ne animus meus in te conciperet iracundiam, & quem ſemper amaui, odiſſe inciperem. Itaquè patienter feras, ſi me deridentem derrideo: quia

. —— *ſic ars deluditur arte.*

Tu me derides, qui iuris peritus cùm ſim, de abditiſſimis Medicinę ſecretis, quę Æſculapio negotium faceſſerent, interrogas. Ego par pari refero, te illorum numero adſcribens, qui Iuris peritos nullius rei ſcientiam deficere, nō minùs temerè, quàm inſulsè opinantur. Sed quia illud ſemper in animo habes. *Frons, oculi, vultus perſapè mentiuntur, oratio verò ſæpiſsimè:* ne iracundiam mihi diſſimulatam credas, quæſtionem à te propoſitam (*num quis veneno, ſine corporis iniuria, veſci poſsit*) enodabo, nullis Medicinæ rationibus, ſed exemplo inter hiſtorias celeberrimo innixus:

xus: quod Isaacus Casaubonus in sequens disticon

Rex certam sub claro habuit diademate pestem:
Certa sub illecebris toxica mũdus habet.

sic refert. *Cambaia regnum est, ad oras primo sole salutatas, Guzarat incola vocant, cui Machumar imperitasse testatum habemus, Regem veneno (ita volente patre, malè timente filio) ab ortu innutritum sensim tosici scrupulo super siliquam dato. Is in tam virulentam feritatem venenato nutritu degenerauit, vt quæ in eius cute temporariam muscæ quietem vellent, æternam caperent.* Hoc certè magnum, sed maius, quod subiungit. *Quoties autem ipse quempiam vellet interimere, augendæ scilicet pesti, pestiferum fructum Chosale, foliaq; Tambor quàm simillima, illum Moschocaryo, ista Persicis esitarit, accersitum deinde haud minus lethaliter, quàm blanditer alloqueretur. Nemo tam integra valetudine fuit, qui venenato Regis afflatu in mediam horam durarit, nulla pellex, quę concubitui superfuerit.* Hæc pari cum

fide,

fide, atque admiratione legas, & valeas. Bononiæ.

EPISTOLA LIII. Pisas.

FRANCISCO LANDVCIO.

LItteras tuas, amoris indicium, quia ſalutationum cateruas continebant, lætiſsimus accepi: & eo magis, quòd tuum, poſt caloris remiſſionem, ad nos acceſſum nunciabant. Pro ſalutatione gratias ago. De acceſſu mihi gauiſus, tibi gratulor, & quàm primùm fore vehementiſſimè opto. Cùm veneris, me amicum ad omnia tibi paratum oſtendam; &, ſi vti libeat, non fruſtabor opinionem tuam: cũ beneficium dare longè iucundiùs cenſeam, quàm accipere. Vale. Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA LIV. Bononiam.

FABRITIO BARTOLETO Philosopho, & Medico in Bonon. Archigymnasio Chirurgiæ Professori.

OPuscula tua poetica quàm primùm mittas, rogo: vt quibus ingenij tui fœcunditatem prædicaui, prædicatione mea clariùs elucescat. Si miseris, bona fide polliceor, non amiseris. Neque alicuius Poetæ nostratis censuram verearis. A Parnasso longissimè distamus: adeò vt licet Musæ, quæ loci amœnitate delectantur, ad nos animi causa descendant, ciues nostri, vt eas ad crebriorem, libentioremque reditum alliciant, ex se prægnantes remittant. Phœbus, ne illaudabilem virginum vagationem, à qua stupri origo, impunitam relinquat, eas, vbi conceperint, fœtus edere, illosque Poetastros, non Poetas iubet appellari. Vale. Forosempronij.

EPI-

EPISTOLA LV. Ad S. Constantium.

FLAMINIO DE BISCACCIANTIBVS S. Constantij Prætori.

SI quis etiam ignotos amari neget, mihi experto fidem præbeat, qui te, Flamini, haud parum amo, nec tamen cognosco. Equidem meliorem tui partem, animum scilicet tot, tãtisque virtutibus ornatum noui, vt ingenti amicitiæ tecum contrahendæ teneat desiderio. Eius conciliatorem, Sebastianum Mauritium, supra mediocritatem, tibi addictum, mihi amicissimum adhibeo. Is repulsam non timet, de tua singulari humanitate non semel experientia edoctus, & frequenti scriptione mecum locutus. Nec sanè debitas tibi laudes debuit reticere: vt cùm meritorum tuorum magnitudinem æquali relatione haud assequatur, eam partem ne iniuriosus prætermitteret: quæ animi gratitudinem continens, nullo nisi liberæ voluntatis arbitrio continetur. Bononiæ.

EPISTOLA LVI. Forosempronium.

FABRITIO INGENIERIO.

QVod de fratris tui filio superioribus litteris admonui, vobis omnibus gratissimum opinor accidisse. Admonui, ne virtutem proprijs meritis fraudarem. Virtutem, dico, illius, quem opera ipsa iuuandi facultate, per absentiam, sublata, profectitijs, verbis deserere impij hominis ingenio adscriberetur. Nisi tam celer hinc discessisset, ego meum studium erga illum diutiùs, & largiùs exercendi occasionem nactus essem. Quid illius maioribus, & præsertim Gulielmo debeam, narret, qui eiusdem merita in me singularia, cognouit. Sed, quamuis ista à me nihil reticeantur, cùm tamen prædicatio mea illorum magnitudini non respondeat, perinde patent, ac si occultissimis tenebris opperirentur. Eorum auctor, qui tanto oneri suppeteret, apertissimè detrectat; non temerè fortasse ratus, beneficij meritum furibus exponi, nisi à conferente grauissimo silen-

ſilentij lapide occludatur. Prolixitatem meam non excuſo, ne hominem podagræ morbo detentum, epiſtolæ longioris lectione velle videar detinere. Vale ab eo, qui, vt mortales valerent, mortalitatis inualetudinem ſubiuit. Bononiæ.

EPISTOLA LVII. Bononiam.


ANTONIO RVDVLPHO.

EPiſtolam dedicatoriam, dum petis, rem magnam, paruamque ſimul appetis. Si Principem bicipiti dignitate fulgentem, cui dicata, reſpicias, res magna profectò eſt. Sin Auctorem, parua, & exilis: cùm ab eo nihil non paruum, nihil nō exile proferatur. En libens mitto: & quãuis verear, ne, poſteaquam eam legeris, non parum demas de opinione, quàm de me, amicorum ſuaſu, concepiſti; tamen illud ſolatij fuerit, quòd longè plus oculis, quàm auribus tribuendum iudicabis. Enimuerò decem auriti teſtes vix vni oculato æquiparantur. Vale. Ex Villa Caſalechij.

EPISTOLA LVIII. Forosempronium.

FERDINANDO CHARTARIO I. C.

VIde, Chartari, quid amor valeat. Statim vt à nobis abijsti, omnia corporis membra mihi obriguerunt, non tam gelu (licet hisce diebus summas vires exerceat) quàm timore, ne quid rei aduersæ tibi in isto difficillimo itinere obijceretur. Quoties à tua decessione, meam suadendi artem incusaui, quæ nullam tibi cunctationem potuit suadere! Quoties, præter quotidianum sacrificiũ, priuatas Deo Opt. Max. preces obtuli, vt te patrijs laribus sospitem restitueret! Nunc supplex eundem oro, ne vota mea irrita patiatur: quod dum contigerit, citò me auditurum confido. Vale. Bononiæ.



EPISTOLA LIX.

ALEXANDRO DE S. PETRO.

ACademicis exercitationibus plurimum laudis deberi, ex eo licet cognoſcere, quòd illarum conſuetudo à vetuſtiſſimis Philoſophis in medium adducta, longiſſimo annorum ſpatio, nihil exoleuit. Quinimò ab optimis ætatis noſtræ litterarum profeſſoribus ſemel adſumpta mordicùs retinetur; cũ nihil omninò ignorent, multum illinc vtilitatis in iuuẽtutem proficiſci. Vt enim militum fortitudo aſſiduis armis exercita, magis roboratur; ſic adoleſcentium ingenia crebris litterarum velitationibus expolita perficiuntur. Contrà, ſi æmulis careant, otio quàm citiſſimè contabeſcunt. Itaque multum te laudo, qui conſilium cæperis Philoſophiæ theſes in priuatis Academijs tueri, contraque tuentes argumentari. Et, quoniam præfatiuncularum formam huic negotio accomodatam deſideras, quatuor eiuſdem ar-

gumenti, variæ tamen inuentionis cum præsentibus litteris accipies: quorũ exemplo non paucas, proprio Marte, tibi liceat conscribere. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LX. Corinaldum.

ANTENORI ALDOBRANDINO.

SI meus in te amor aliquid accessionis admitteret, id totum esset ab animi gratitudine, cuius post tuì apud me institutionem, non obscura indicia præbuisti. Nihil enim prosperi, nihil aduersi tibi accidit, quod mihi per litteras non aperiendum iudicaueris. Pater tuus diem obit? statim me facis certiorem. Tu vxorem ducis? non cessas à scriptione. Hinc discant iuuenes ex Doctorum imperio egressi, illorum merita non obliuisci. Hominem, quamdiù præcipit, reuereri, timoris à seruitute: post præceptionem, amoris est ingenuitatem indicantis. Ad vxorem reuersus, tibi quàm maximè gratulor. Quòd de illa per litteras nunciaueris, gratias ago, prolemque

tibi

tibi maximè optabilem opto, & precor. De matrimonij conditionibus illud mihi facilè persuadeo, te feminam duxisse, quæ cum Alcumena, animi dotes non fortunas, dotem existimet. Si boni iudicij ductu, talem elegeris, te felicem prædico. Sin minùs, quicquid miseriarum est (quod Deus auertat) tibi paratum præuideo, & doleo. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXI. Romam.

LAVRENTIO ANTICIO I. C.

EGo silentium tuum diù, multumque admiratus, litteras tandem accipio, quæ te, vix patrijs laribus salutatis, ad septem collium vrbem properasse nunciabant. Tunc mecum ipse. Non mirùm, si Anticius silet, Principum, ac Dynastarum, honoris causa, salutationibus, in Romana Curia occupatus. Si ita est, quamdiù libet sile.

Peregrinum decet magis silentiũ, quàm vociferatio.

Sile, inquam, sed apud Aulicos, qui plus scire debent, quàm loqui. Nobiscum mutis vocibus, idest litteris nullum strepitum cientibus, sermonem habe, & vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXII. Anconam.

FLAMINIO BENZONIO I. C.

NEmo defæcatiore animo, amico molestijs exempto gratulatur, quàm qui in eadem naui fuerit, aut sit. Tu expertus quid curæ, quid solicitudinis menti exhibeant sorores iam viro aptæ, me vno, eodemque tempore, duas in matrimonium collocasse, non simulatè gratularis. Sed quid caussæ fuit, cur istam voluntatem amicissimam per litteras aperires? Amor erga me tuus haud occultam sustinuit. Si amicis animo par reddi posse confidis, iam te fœneratò recepisse certò scias. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXIII. Bononiam.

ANDREAE MARIANO
Philosopho in Bononien. Archigymnasio
Logicæ Professori.

AGrestes homunculos in Ranas à Pallade conuersos, festiuissimi Poetæ cecinerunt. Ne idipsum, Orionis injuria, nunc euentu ipso de nobis comprobetur, pertimesco. Imbres enim, tribus ab hinc diebus, tam assidui decidunt, vt nos in ædibus, non secus, ac in latomijs compeditos detineant. Itaque nimboso sideri non parùm irascor, qui nostris otis pro matula impudentissimus vtatur. Quibus rebus cœlo tam inclementi, diem laceras? A consuetis laboribus (vt genio indulgeam) Genialium dierum Alexandri ab Alexandro lectioni vaco, ea iucunditate, vt Argus, qui totus oculeus fuisse traditur, fieri nimis velim. Sed nescio, quo fato, vel in ipsa animi delectatione, quæ tamen lectionis spatium non excedit, non satis benè sit corpusculo. Equidem matutinis, vespertinis-

tiniſque deambulationibus, quæ famem cient, aſſuetum, nimiam quietem, credo, auerſatur: veritum fortaſſe, ne ſi diutiùs reſſideat, à lautiſſimis cibis (dummodò valetudini conſultum velit) cogatur reſidere. O vos, ſupra quàm dici poteſt, felices, ac beatos! quibus vrbem aſſiduè colentibus, domi per libros, foris per deambulationes & corpori, & animo licet proſpicere. Quàm diù capillos geſtauimus, arbitratu noſtro viximus, ſupra biduum, aut triduum ruſticari non libuit. Nunc capite abraſi, ſeruitute circumuẽti, alienis moribus, mores effingamus, vultum è vultu comparemus, neceſſe eſt. Sed cur in fortunam, quæ me in gratijs tamdiu ruſticantem fecit, inuehi non ceſſo? præſertim cùm illud menti occurrat, nos pridie omnium Sanctorum ſolemnitatem, hiſce vineis, quę pampinos ponunt, longum vale dicturos. Faxit Deus, vt hoc exoptatiſſimum vale properè properet, Dedalæis remis (quod aiunt) acceleret. Si ab ore meo citò effluxerit, quicquid angoris eſt, ab animo effluxerit. Sin diù cunctetur, ſupremum

vale

vale mihi dicere non cunctabitur. Tu vale, & me (quod facis) ama. Ex villa.

EPISTOLA LXIV. Recinetum.

HIERONYMO ANTICIO.

QVi me Plautinum appellant, sortem meam, quæ est infrà mediocritatem, extollunt. Plauti Comœdijs (non nego) delector. Verum is, Auctor non est, qui legentem in familiaritatem suam facilè admittat. Amat potiùs tractari, quàm legi. At me fortasse Plautinum vocant, quòd Plautinas sententias in vnum congestas italica lingua donauerim? *Si res ita habet*, in ijs certè sum, qui largam laboribus suis mercedem relatam arbitrantur. Omninò meì amantes ab isto nomine desistant, ne inuidi, me illud affectasse deblaterent. Plautum animi causa semper euoluam; sed in eius verba iurasse dici nolo. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXV. Bononiam.

CAROLO ANTONIO MANZINO.

LÆtor ab amicis laudari; sed quousquè meritorum meorum exilitati malint inhærere, quàm ingenij sui culmen attingere. Istud si eligant, eorum laus plus fellis habet, quàm mellis. Hoc tibi, humanissime Manzine, dictum volo, qui in meì laudibus, quis sim, planè oblitus, tuæ solius facundiæ rationem habuisti. Verùm, quia per amorem fel etiam dulcescit, quicquid in tuo de me elogio est fellis, huiusmodi condimento aspergas. Dicas, te amoris potiùs, quàm meritorum impulsu de meis laudibus scripsisse. Vale. Ex villa.



EPI-

EPISTOLA LXVI. Ariminum.

GAVELLO GAVELLIO.

QVid mirum, Gauelli amicissime, si voluptates Venetijs à te gurgitatim haustas, per longam, in reditu ad patriam, vndarum agitationem euomisti? Æterna rerum humanarum vicissitudo postulat, vt gaudium mœror consequatur. Vtinam hæc veritas, quam nemo re ipsa in dies non experitur, mortalium animis inhæreret! vt immoderata oblectamentorum exercitatione abstinentes, auaram boni, quod obtigit, mensuram pleno horreo compensatam ne reciperent. Fortunam igitur cum ceteris tibi communem iniquè accusas: cùm iniquum sit peculiarem in hac vita immunitatem postulare. Hanc ipsam summis laudibus potius extolle: cuius beneficio te immanibus fluctuum periculis ereptum, iucundissimi parentum amplexus exceperunt. Vale. Bonon.

EPISTOLA LXVII. Forosempronium.

ANTONIO MEOTTO.

LItteras tuas nondum perlegeram, cùm madidus oculis exclamaui. Heù fata! Quàm temerè facitis, virum optimum in caninam rabiem actum miserrimè necando! Ne ingratissimus fuit catellus, qui domini manum sibi blandientem lethali morsu arripuit. Sed cur dixi catellum? Cerberum veriùs nominassem: qui acerbissimo amici funere perpetuam luctus materiam nobis obiecit. Non mola salsa Ioui prodigiali, sed vero prodigiorum propulsatori, pia oratione litemus; vt quem casum in amico vidimus, à nobis benignissimus auertat: viroque ingenuo, qui nos mœstissimos deseruit, corporis agitationem, vbi non obscurum patientiæ præbuit testimonium, æterna animi tranquillitate compenset. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXVIII. Bononiam.

MATHAEO MARIANO.

HVmanitas, quæ tibi à Natura indita est, alterum mihi beneficium pollicetur. Illud paruum non erit, si apud necessarium tuum interpretis munere perfunctus, præsentes eidem litteras deferre haud neglexeris. Licet enim, quod per te rogaui, temporis angustia denegauerit; optimi tamen animi indicia gratiarum actionis officium postulant. Vale, & amicum molestum potiùs, quàm modestum excusa. Ex Villa Casalechij.

EPSITOLA LXIX. Bononiam.

FRANCISCO PETRASANCTAE.

QVantum audaciæ ostendi, cùm nihil apud te meritus, per Matthæum Marianum, singulare beneficium rogaui, nunc tantundem gratiarum

ago.

ago. Quamuis enim, per temporis breuitatem, rem non licuerit impetrare; libet tamen tuæ erga me voluntati plurimum debere. Quinimò eo plus debeo, quòd beneficij consecutionem internuncij precibus nonnulli fortasse adscripsissent; sed promptus benefaciendi animus in tuam liberalitatem deriuatur. Vale. Ex villa.

EPISTOLA LXX.

BERNARDINO BENSIGNATO Doctori Theologo Bonon. Collegiato.

SI quis inueteratam hisce diebus Seruatoris nostri Natiuitati sacratissimæ imminentibus felicitatem augurandi consuetudinem negligat, religiosum amicitiæ munus videtur negligere: parum abfuit, quin dixerim, odisse. Quibus enim res prosperas, temporibus sic postulantibus, non desideras, eisdem aduersas te imprecatum, suspicionem affers. Accedit, quòd legum violatorem, non sine maxima ignominia, te præbes, quoties huiusmodi officium

cium incuria, aliauè iniuſta cauſa prætermittis: cùm, quicquid conſuetudo, cõmuni ab omnibus accepta, longaque annorum ſerie agitata ſibi vendicauit, legibus ipſis iniurioſiſſimè detrahatur. Ecquis ignorat, morem iſtum nulli vnquam ſatis laudatum ab ipſis Romæ exordijs in Tatij obſequium exordia ſumpſiſſe? Ego igitur, ne iuris ſubuerſor iniquiſſimus appaream, quod tibi viro omnium amantiſſimo debeo, libens perſoluo: omnia, inquam, ex voto, non à fortuna, quæ

Nec diſcrimen habet, rectaue iudicat,

ſed à rerum omnium Moderatore ſapientiſſimo, cuiuſque meritorum iudice optimo ſecundari deſidero. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXI. Foroſempronium.

FERDINANDO CHARTARIO I. C.

QVantum lætitiæ hauſerim, vbi cognoui, te poſt difficilis viæ pericula, ſoſpitem domeſticorum complexibus exceptum, eos interroga, qui de

amicorum ſalute diù ſoliciti, fruſtra dubitaſſe aliquando tandem certiores fiunt. Cùm enim pauidos animi motus antecedenti epiſtola neſcierim explanare, quo pacto ſuccedentem lætitiam reſerabo? Hæc apud litterarũ ſcriptorem præclariſſimum *ſolet eſſe facunda, & anguſtias clauſi pectoris aſpernata geſtire*. Apud me verò elinguis, aut hoc tantùm loquax, quòd loquacitatem magnitudini ſuæ imparem apertis vocibus declarat. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXII. Bononiam,

ANDREAE MARIANO
Philoſopho in Bononien. Archigymnaſio Logicæ Profeſſori.

PRoximis litteris tibi ſignificaui, nos magnoperè vereri, ne Orionis iniuria, coaxantium animalium formas indueremus. Nunc idipſum, & eo conſtantiùs affirmo, quòd ſuperi nullam, nequè diurnæ, nequè nocturnæ quietis partem imbribus impertiunt. Attamen iſta metamorphoſis

phosis acerba, quæ eminùs præuisa, animum angit, illud solatij affert, quòd communis amicus, qui omnium aures obtundit, in sermonum collatione se Achanticam Ranam, ad nostram coaxationem, agnouerit. Verùm, vt omissis iocis, ad imbrium molestiam redeamus, sexcenties singulis diebus mihi ad speculam suspicienti, an Cœlum testes saturnia falce sibi præcisos deplorare desierit, eiusdem oculi lacrymis suffusi obijciuntur. Tunc, quid sperandum in posterùm, quid timendum, rusticorum astrolabium oculis emissitijs consulo: Nulla imbrium cessatione præsignata, in anni tempestatem iratus incesso; quippe quæ miserrima Deucalionis tempora minitetur. Astrolabium, est collis cacumen vineis consitum, quod incolæ Coccam appellant, & ab Illustrissimi Senatoris Cospij fundô ad Sacratissimum D. Lucæ templum molliter assurgit. Cùm istud inter nebulas, vel parùm imminet, præsentem pluuiam duraturam, aut futuram non longè absentem prænunciat. Quorsum hæc? Timeo, ne cùm omnium Sanctorum, tum

Dominicæ Natiuitatis dies festi nos hicru-sticantes opprimant. Ego calamum currentem opprimo, ne prolixitate me tibi molestiorem exhibeam. Vale. Ex Villa Casalechij.

EPISTOLA LXXIII. Durantem.

PETRO FRANCISO MACCIO I. C.

TIbi iurato affirmanti cum valetudine in gratiam redijsse statim, vt meas accepisti, an credam, non satis certum est. In eo potius nihil hæsitans, iniurato crederem, nisi negares, te non tam mox illas attigisse; quam mox inualetudinem attigisti: rescribis enim post mensem. Illud dictum ne credas, vt tibi indiligentiæ notam velim inurere. Iam scriptionis meę causas à rescriptionis postulatu alienas satis apertè significaui; cùm *præter æquum sentiant* (vt ait ille) *qui inter dispares par obsequium requirunt*. In hanc sententiam dictum est, me à causa rem contrariam, à valetudinis, inquam, recuperatione silen-

tium

tium productũ admirari. Si à febri (quod asseris) vales, gaudeo, vtque tibi, & amicis nihil supra tuam salutem ambientibus æternum valeas, precor. Bononiæ.

EPISTOLA LXXIV. Taurinum.

ALEXANDRO FRATRI
Illustrissimi Apost. Sedis apud Serenissimum Allobrogum Ducem Nuncij Ordinarij à secretis.

SInistri pedis dolor quindecim dierum spatio nihil interruptus mearum ad te litterarum seriem interrupit. Alij Podagræ nomen indunt. Alij humorem calidum per varia corporis membra fluentem dicunt. Ego morbum omnium certè grauissimum non appello, sed sentio. Cùm nulli medicamentorum generi (licet multa adhibuissem) cedere voluisset; vbi vnũ, aut alterum diem ab vnctionibus cessaui, ipse pariter cessauit. Ab ineunte doloris remissione stylo haud parcendum iudico; vt intelligas, me non, nisi necessitatis impulsu

pulsu

pulsu, à scribendo vacare. Vale. Bononiæ. Obsignata iam epistola, proximas tuas accepi, & quidem tales, quales optaui, & speraui. Illas opportunè reddam, teque de omnibus rebus certiorem faciam. Iterum vale.

EPISTOLA LXXV. Forosempronium.

PROSPERO CHARTARIO I. C.

MEos in Tacitum labores non arduos nego. Eos tamen esse inficior, qui æquam (vt tu asseris) iucunditatem pari vtilitati coniunctam auditoribus possint afferre. Nosti Auctoris difficultatem, quæ doctissimo cuique negotium facessit. Si facultas voluntati responderet, non dubiè sperarem, fore, vt neque Auditores quantum proficerent, neque me suscepti muneris pœniteret. Si tamen isti (quod te audisse affirmas) diligentiæ meæ acquiescunt, ego testimonio tuo libens

bens acquiesco, & alacriùs post hac in eiusdem Auctoris interpretationem me laboraturum polliceor. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXVI. Vrbinum.

PETRO FRANCISCO MACCIO I.C.

VArio rerum tuarum euentu, quem mihi homini amicissimo, beneuolentiæ suasu, communem adscribo, animus etiam meus variè afficiatur, necesse est. Meritò igitur lætitiæ, quam superioribus litteris tibi diuturnę ægrotationi exempto declaraui, præsens mœror succedit; quòd in alium morbum incideris, nempè in litem. Hanc non indignè pestem nominas, cui non herbæ, non lapides faciunt medicinam. Dum rebus tuis aduersis doleo, alterum amici officium non deserens, te hortor ad tolerantiam, virtutem omnium præstantissimam. Faxit Deus, vt istud, quicquid est, mali, quamdiù necesse fuerit, forti animo feras, quousquè pro te sententiam auferas: vt postea quàm tranquillo animo in

patriam redieris, mutuis inter nos litteris iocari liceat: præsertim istis diebus, quibus hilarem vitam non agere, mera mors est. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXVII.

ANDREAE MARIANO Philosopho in Bonon. Archigymnasio Logicæ Professori.

QVod non minùs scitè, quàm pruden-ter sapidissimus ille per Philema-tium,

Insperata accidunt magis sæpe, quàm quæ speres,

nunc re ipsa de me experior. Ruri (quod non vnis ad te litteris significaui) imbrium ingruentia detinebar, quasi verna in phylacis circumuentus: quodque acerbius videbatur, omnis spes decollauit, fore, vt breui è loco molestissimo educerer. Cùm fortè fortuna (seu verius dicam) diuino beneficio, sudum repentè ortum me in sedes optatissimas reuocauit. Illud tibi per litteras

ape-

aperiendum existimaui, ea spe nixus, vt, qui amici malum, tuum malum existimas, boni, quod illi contigit, te participem haud neglexeris. Malum appello esse, vbi minùs velis: bonum abesse, vndè minùs non nolis. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXVIII. Ferrariam.

LAVRENTIO LOMBARDONIO.

SIc sunt humana, Laurenti amicissime, vt amicorum mandata appetentem, quasi Tãtalum in aquis refugiant, fugientem, vmbræ instar, auersum insectentur. Itaquè non mirum, si qui alienam operam requirunt, raro fideli vtantur. Quicquid amicorum causa efficimus, nisi hilaritate condiatur, nihil omninò sapit. Hoc tibi dictum, qui amicorum indigens, difficillimos omnium adis, me omnia tua causa cupientem præteris, aut ceteris excussis, quasi inuitò petis. In iram si propenderem, vltio parata esset; cùm is minimè sim, cuius voluntate altiùs inspecta, minimi videar facien-

faciendus. Sed quoniam omnibus in rebus amicorum commodo, non proprio genio indulgendum existimo, ideò libens Mathematicæ scientiæ libros ad te mitto: vt quod multos frustra sæpius flagitasti, ab vno vix quidem iusso (quoniam tui amantissimus est) accipias. Mitto, & rogo, vt, si quid in posterum necesse habueris, statim me facias certiorem, illud pro certo habens, optimam erga te voluntatem nullo mihi tempore defuturam. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXIX. Pergulam.


LVCAE RVGGERIO I. C.

QVæ de tuo negotio fides consiliaria mihi obiecit, per superiores satis videbar rescripsisse. Nunc genio tuo cumulatè obsecuturus, illud, & liberiùs fortasse addo. Quæ plurimorum adseuerationem, & consensum requirunt, non facilè impetrantur. Hac de causa Tacitus Cn. Pisonis sententiam, licet in rem longè diuersam laudat, quòd ab vnius, quàm mul-

multorum iudicio pendere maluisset; illud secum ipse reputans, quod Auctor politicus affirmat, *vera, aut in deteriùs credita iudice ab vno faciliùs discerni: odium, & inuidiam apud multos valere*. Neque respondeas: petitio mea honestati altiùs innixa, repulsam non timet: quoniam, si hominum vota, ex honestate, fortuna secundaret, non perindè verè, ac eleganter Poeta cecinisset,

Fortuna immeritos auget honoribus,
Fortuna innocuos cladibus afficit,
Iustos illa viros pauperie grauat,
Indignos eadem diuitijs beat.

Si tamen illius fauorem in te libet experiri, meque negotio adiuuando aptum existimas, illud habeas, forlunam voluntati meę non dominari. Amico igitur nihil parce, sed omnia præcipe, & vale. Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA LXXX. Bononiam.

LVCIO PASELLO.

TVam ex Taciti lectione iucunditatem intelligens, iudicij maturitatem, in ætate nondum matura, summoperè laudo; vt potè illius, qui Auctorem rerum politicarum omnibus probatissimum legendo, diem traducis. Quid verò à iucunditate, nisi aliquis indè fructus constaret? Is apud me constat, & certè non vulgaris, quem tuæ cum Academicis sermocinationes declarant. Perge: istius generis libros euolue. Optimarum enim artium cognitio ingenitæ nobilitati, morum castimoniæ adiuncta, te otio, quod iuuentus libentissimè amplexatur, inimicum, bonis omnibus amicum declarabit. Vale. Ex Villa Casalechij.



EPISTOLA LXXXI. Pisaurum.

IVLIO CAESARI VENANTIO I. C.

RVmor serpebat (quod scribis) me superiore præterito mense in patriam reuersurum. Eiusdem rei apud me serpebat desiderium. Causa non vna. Sed primaria, vt parentes viserem, qui, Deus auerunciet, vt iam senio confecti, supræmum diem claudant, priusquàm præsentia mea illorum voto satisfaciat. Statim vt quædam negotia expediero, viæ me committam. Tu, quæ pollicitus es, vt maturè parata sint, cura. Vnum, aut alterum diem apud te cogito. Supra, nihil polliceor. Enim verò quò tardiùs ad meos iter conficiam, eo celeriùs huc reuerti necesse habebo. Vale. Bononiæ.



EPISTOLA LXXXII. Ripas.

SEBASTIANO MAVRITIO I. C.

DVm tempus illud, Mauriti amicissime, occurrit, quo lac ab ista nutrice studiorum fecundissima sugebas, occurrunt pariter collocutiones, quibus sæpe duas, tresue horas cum maxima animi voluptate exigebamus: eaque cogitatione adeò immergor, vt iure optimo exclamem: *Bonum carendo magis, quàm fruendo dignoscitur*. Postea quàm enim locis disiuncti sumus, consuetudinem tuam expertus, quanti fuerit, nunc desidero. Vtinam diem aliquando aspiciam, quæ res pristino statui reponat, quæ nos iterum coniungat. Sed, sicut animo grauiùs angerer, si quid mea culpa commissum esset; ita illud solatij est, quòd fortunam licet accusare, quæ nos inueterata beneuolentia inuicem conglutinatos inuida deglutinauit. Nos contrà, illius improbitatem frangere, victi de victrice triumphum reportare contendamus,

mus,

mus, easdem collocutiones, quàm creberrimè fieri potest, mutua scriptione agitantes. Vale. Bononiæ.

EPIST. LXXXIII. Forosemprionin m.

IACOBO THOMASINO I. C. Forosempron. Ecclesiæ Cathedr. Canonico.

QVicquid laudis debetur viro, cuius accessione, exiguus amicorum, qui veri sint, numerus augeatur, id totum communi omnium opinione, tibi, Thomasine humanissime, conceditur. Ego parum dixero, si te omnium amicissimum dixero. Fratrem veriùs, aut etiam patrem appellaro, qui fratris, patrisque officia mihi liberalissimus præstitisti. Fratribus namquè absentibus, patre, ob senectam, sibi ferè inutili sedulam adeò rerum mearum curam suscepisti, vt, quidquid impedimento esset, quominùs commodi, honorisque causa domo abessem, breui, & facilè sis amolitus. Sicut istud beneficij genus, quod

cum

cum logicis generalissimum, vnde cetera deducuntur, licet nominare, nihil ingratius agnosco; ita gratias pro eo magis habendas, quam agendas, & vbi relatio imparata sit, silentio magis, quàm verbo vtendum existimo. Hoc sæpe vaniloquentiam, illud propriæ imbecillitatis confessionem, quæ animi gratitudinem pariat, ostendit. Fac, tibi rerum domesticarum pondere oppresso aliquem miseratione commotum suppetias ferre. Quid illi debendum iudicares? Idipsum me tibi debere profiteor. Profiteor, non loquor. Beneficiorum enim magnitudini paria verba non inuenio. Attamen hoc vnum animo conceptum, ne sexcentis quidem habenis cohiberem. Qui vitam mihi pijssimus reddidisti, hanc tibi debeo. Ea igitur, vbi libet vtere, & vale. Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA LXXXIV. Pergulam.

ANTONIO SALVTIO Philosopho Medicinæ Professori publico.

SIlentium meum diuturnum excuſem? Apage, niſi te velim accuſare. Vterque noſtrum ſiluit, & cauſa fortaſſe non diſsimili. Siluit certè ſtylus, at, credo, non amor, qui etiam in longo, profundoque ſilentio ſe loquacem ſatis declarauit. Equidem de me illud auſim affirmare, nullum diem præterijſſe, abſque mutuæ inter nos beneuolentiæ apud amicos commemoratione. Cur id ipſum de te non credam, cùm tuam conſtantiſſimam in amando voluntatem conſidero? Vterque, licet ſcriptionis abſtinentiſſimus, nihil de optima animi propenſione detrahi paſſus eſt. Vtinam crebris litteris iſtam excolere libuiſſet: non quòd aliquid acceſſionis faciendum ſperauiſſem, ſed quoniam iucunditate, quam inter amicos litteræ afferre conſueuerunt, fraudati, inuidos lætitia geſtientes

non vidissemus. Ne isti diutius collætentur, ad intermissam scribendi vicissitudinem redeamus. Illud si feceris (vt sæpius te facturum non despero) quicquid absentia tua ægritudinis fouet, non mediocriter leuari sentiam. De me illud tibi persuadeas, tam crebras ad te litteras missuruin, quàm grauissimas occupationes tuas nihil interpellari cognoscam. Cui namquè obsequium debetur, molestiam vereor exhibere. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXV. Bononiam.

FLORIANO AVGVSTINO Ioannetto I. C.

AMicus tuus, seu potius noster, quid de se homines loquantur (si me audierit) nihil, aut certè parum laborabit. Cur verò laboret, qui cunctis de se honestissimè loquendi materiam præbet? Hominum vita non ex vulgi sermone, sed vulgi sermo ex hominum vita metiendus. Improbes igitur, qui ab honoribus repulsi, cen-

censorium munus sibi arrogare non dubitant, aspernetur. Imò huiuscemodi deblaterationibus, bonam sibi apud bonos famam augentibus, magnoperè gaudeat. Quoniam

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Vale. Ex Villa.

EPIST. LXXXVI. Forosempronium.

LVDOVICO PERVZZINO.

QVi mei amantissimus à Natura genitus, ab Arte est enutritus, stylum diutiùs cohibere nō potuit, quominùs litteras ad me, pro dignitate nuper accepta gratulatorias exararet. Istæ mihi quidem gratissimæ vt eo maiores gratias agerem impulerunt, quòd, cùm tuorum in me officiorum cumulus in dies crescat, hæc nullo vnquam tempore à me referri posse confido. Vtinam hic gradus, me quasi per gradus manu ducat, vbi sicut tua in me beneficia cognosco, & amicis prædi-

co; ſic aliquid in tuam, tuorumque vtilitatem mihi liceat emoliri: ne cui plurimum debeo, inutilis viuam, inuidis ingratus appaream. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXVII. Ripas.

SEBASTIANO MAVRITIO I. C.

QVæcumque de miſerrimo rerum humanarum ſtatu apud auctores leguntur, veritati conſentanea ſunt: ſed illud potiſſimum

—— —— ita cuique comparatum
Eſt in ætate hominum, ita Dis placitum, vt
voluptatem mæror comes conſequatur;
Quin incommodi plus, maliq́; illicò aſſit boni ſi obtigit quid.

Exemplum non longè petam. Ego ex terciæ ſororis, quam ſatis commodè collocaui, nuptijs iam celebratis, iucunditati duplicem calamitatem ſuccedentem ſentio. Alteram ex aduerſo caſu, quem fratri meo accidiſſe non ignoras: alteram ex primæ ſororis viri obitu, eo grauiore, quòd quinque

que

que filios reliquit, qui auunculi bonis certatim inhiabunt. Hinc rerum domeſticarum onus deponendi ſpe, quaſi videor deſtitutus, dum iſtæ recrudeſcentis Hydræ naturam æmulantur, cui ſingulis capitibus obtruncatis, ſeptena pullulare conſueuerunt. Animum tamen non deſpondeo. Aderit diuinus Alcides, qui, face admota, pullulationis ſæpius iteratæ loco callum obduxerit. Interea non poſſum non eſſe homo, ſenſu non affici, quòd, quanto magis ex moleſtiarum lacu nitor emergere, tanto magis in dies mergar infelix. Dolor quidem præſcriptos à prudentia limites non excedit. Sed iam animo conceptus ob amicorum inopiam, qui obſtetricis officio fungentes, gemituum impulſu emiſſum, amantiſſimis auribus excipiant, exceptum ſolentur, intus adoleſcit, & cùm non aliundè nutriatur, è meo ſanguine cibum ſugit auidiſſimus. Quò circa non mirum, ſi ante mediam ætatem, cano capite quinquagenarius appaream. Ætas namque licet robuſtiſſima, calamitatibus facilè opprimitur, niſi effugium pa-

teat ad amicos, quorum opera, & consilio subleuetur. Quis te, Mauriti, felicem non appellet amicis, in isto angustissimo loco, augustissimum? Felix certè es, arctissima (vt ais) familiaritate coniunctus cum viro, qui corpori, & animo tuo facit medicinam? Ignosce prolixitati. Videor enim quasi præsens tecum habere sermonem, qui doloris in animi penetralibus reconditi siliceam duritiem potest mitigare. Quò circa crebriores litteræ nobiscum intercedant, ne hoc fructu omnium iucundissimo priuemur. Vale, & Medicum tuum à me plurimùm saluta. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXVIII. Bononiam.

CONSTANTIO MARIAE Maluasiæ Comiti.

SI laudes, quæ scriptionibus meis à patre tuo tribuuntur, ex ingenti beneuolentia scaturire nescirem, illis multo maximè delectarer. Noui Comitem Neapoleonem, virum optimis artibus imbutũ, acri

acri iudicio, acrique ingenio præditum. At, quoniam illud amoris proprium videtur, vt res vero maiores efficiat, hinc profectò est, vt res supra merita apud me collocatas non facile admittam. Reiectis laudibus, amorem plurimi facio, amplector, & veneror. Tu, qui patrem mei amantem declarasti, eiusdem mancipium me prædica; non ignarus, summi viri beneuolentiam re nulla æquiore, quàm infimo obsequio compensari. Ex Villa Casalechij.

EPISTOLA LXXXIX. Durantem.

EVSTACHIO GATTO I. C.

DE tuo in patriam reditu ab amicis, à te nihil omninò. Quàm diù genialibus diebus siluisti, facilis indulsi. Sed quadragenarij ieiunij tempore te à scriptione ieiunum nequeo sustinere. Migninum, qui amicitiæ nostræ conciliator fuit, litterarum à te extractorem adhibuissem; noui enim quanti apud te sit, & quid velit mea causa: verùm sicut rebus amicorum

voluntarijs non parùm gaudeo; ita quæ extorta sunt, exosus intueor. Scribe igitur, neque à me preces iteratas præstolare: ne quod antea tuæ liberalitati acceptum referre consueui, meis in posterum stimulis adscribam. Scribe, repeto, &, dum scribis, aliquid præcipe: vt quauis alia de causa te litteris parcũ existimem, quàm quòd me amicum voluntate impigrum, sed rebus inutilem censeas. Istas si æquabili mensura, ac illas liceat polliceri, Eustachius sentiet, me omnium instar esse, qui omnium instar ei velle profiteor. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXX. Pisaurum.

ZONCO HONDEDAEO.

QVod fuit in causa, cur tu celerrimè à nobis abijsses, id ipsum efficit, vt tui desiderio longiùs diuexer. Istud in dies augetur, quod de tui fratris valetudine nihil audio. Si libeat non mediocri sollicitudine me leuare, de Francisco quam-

quamprimùm litteras mitte, sed tales: quales me optare, non ignoras. Facilè enim contigerit, vt cùm virum mihi amicissimum à corpore conualuisse cognouero, ego ab animi angore coualescam. Bononiæ.

EPIST. LXXXXI. Forosempronium.

HIERONYMO PASCVCIO.

DE amici scriptis quid judicij feram, non satis constat. Equidem iudico, ætatem nostram illuc deuenisse, vt quod Horatius de Poetis cecinit, in omnes optimarum artium professores rectè possit retorqueri. Enimverò, nisi longè supra mediocritatem sint, longè infra mediocrem æstimationem iacent. Illud in causa est, cur non pauci à scriptórum emissione deterreantur, veriti, ne altero pede cunas, sepulcrum altero attingant. Hæc iuuat ad te paucis rescribere, ne desiderio tuo penitus videar defuisse. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXII. Imolam.

THOMAE SERRAE.

QVi post rem actam, consilium petunt, illud tacitè videntur postulare, vt consiliarium in rei laudationem adducant. Cùm enim quod factum est, infectum (vt aiunt) reddi non possit, idipsum nullo pacto accusandum, ne mœror amici animo ingeratur. Ego tamen, qui plus amicitiæ legibus, quàm genio amici tribuendum existimo, si deliberatio tua accusationis egeret, nihil laudarem. Laudo, quoniam ita sentio. Quid si necessitate coactus reprehenderem? Nullus inde fructus, nisi quòd ego amici partes præstitisse laudarer. Verùm, ne sine consilio à consultore discedas, illud fideliter admoneo, aut rem, ante consilium acceptum ne conficias; aut confecta, consilium ne petas. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXIII. Asculum.

ANTONIO FRANCISCO CHERUBINO Philosopho Medicinæ Professori publico.

ET si occupationum series nihil ferè interrupta satis me tibi poterat excusare, si quod mihi demandasti, non æquè, ac vellem, diligenter confeci; attamen, vt desiderio meo satisfaciam, hęc ad te scribo, me onus libenti animo suscepisse, & eo magis, quòd Anticio gratum accidisse intellexi. Sed non parum timeo, ne operæ illius acquiescas, qui ad improuisum laborem raptus est. Si quid tamen in eo, quod feci, desiderio tuo defuit, non in me citissimè (vt æquum fuit) parentem, sed in te seriùs, quàm debuisti, iubentem reijcias. Vale. Bononiæ.



EPI-

EPIST. LXXXXIV. Forosempronium.

MICHAELI ANGELO FRATRI.


PIj II. opera in vnum volumen congesta, quæ desideras, iam pridem misissem, si certi hominis facultas euenisset. Ea tabellario ordinario nunquam comitterem. Cùm enim equo vehenda sint in ea scrobe, quæ singulis locis per viam litteras ponit, variorum hominum manibus agitata, facillimè perirent. Illud si fieret, nullum tibi emolumentum; mihi maximum damnum constaret; cùm liber illius generis non sit, cuius exempla Veneti, Vltramontaniuè typi nobis suppeditent. Istud, quicquid est, desiderij in mensem sustineas. Tunc enim libro, per me in patriam (quod nosti) reuersurum, allato, temporis spatium, quo illum optasti, æquè diuturna lectione compensabis. Vale, parentesque, ac domesticos omnes à me plurimum saluta. Bononiæ.

EPI-

EPIST. LXXXXV. Ad S. Angelum.

GAVELLO GAVELLIO.

SEbastianus pater tuus mihi abs te litteras reddidit cum Oda, quam, si tuum à modestia exemplum secutus, rusticam appellarem, rusticus omninò essem. Licet enim rurale habeat argumentum; adeò tamen elegans, adeò festiua est, vt à viro vrbanissimo scripta videatur. Singulas illius partes laudo, præter eam, vbi me ad villam inuitas: cùm tanto magis rusticandi desiderium augeatur, quanto minùs me assiduis occupationibus distentum, illud assecuturum confido. O virum liberalem, ea scilicet offerentem, quæ amicis non licet contingere! Attamen gratias ago, &, si vnquam occasio dabitur, æqua me repositurum, polliceor. Vale. Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA LXXXXVI. Bononiam.

FRANCISCO BARBADORIO I. C.

EMblemata cubiculum ornatura, quæ desideras, à me vltra semel non petieris. Amicitiæ officium, cui satisfacere conabor, non ignoro. Tu ingenij mei exilitatem ne ignores, neque illud tibi persuadeas, quod expectationi de me conceptæ nequeat respondere. Si parua expectabis, non frustabor opinionem tuam. Sin magna, illud memineris, hominem viribus exiguum, quæ ingentia sunt, moliri non posse. Ex Villa Casalechij.

EPISTOLA LXXXXVII. Mediolanũ.

IO. BAPTISTAE FRATRI.

DVplicem æstum sustineo, indeque duplicem affectionem experior. Alteram ab amore: alteram ab anni tempore. Illa me ad scribendum adducit: hæc dedu-

deducit. Attamen, si rectè aspicio, æstus inter se haud contrarios agnosco. Amor suadet, vt scribam: anni tempus, vt sileam, veritum, ne, si hisce diebus stylo nimis indulgeam, valetudinem non parum offendam, cùmquè alij autumnali tempore, sine periculo, scribent, ego graui labore in morbum delapsus, à scriptione desistam. Quicquid igitur litterarum, vigente æstu, omitto, cum idem remiserit, cumulatè compensabo. Vale. Bononiæ.

EPIST. LXXXXVIII. Forosempronium.

IOANNI BAPTISTAE Tenaliæ I. C.

TV fratris mei negotium, quàm diù necessitas postulauit, fouere non cessasti: ego tibi gratias agere non cesso, & tamen nihil mihi satisfacio. Illud quidem magis me angeret, si, quæ genij tui propensio sit, ignorarem. Hæc in nuda beneficij confessione æquam relationem cognoscit. Ego huic cognitioni acquiesco,

ſco, meque contrà rebus tuis paratum profiteor. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXIX.

HIERONYMO TAMBVRINO.

ILlud à fato dixerim, vt tu operæ meæ cupidus magis, quàm indigus, hanc ipſam adeas, cùm maximis occupationibus detinetur. A fato igitur, niſi tuæ cupiditati cumulatè ſatisfecero. Voluntas, quæ à me eſt, nunquam imparata. Non idem affirmo de viribus, quæ à Deo ſunt, non à viro. Hæc omninò videbantur præmittenda epiſtolæ, quam petis, dedicatoriæ, miſsioni. Sed ſtatim genius tuus dilationis impatiens occurrit, qui feſtinationem ſuadebat. Itaquè præſentibus litteris adiunctam mittere conſtitui, vt niſi beneficium cunctis partibus abſolutum, certè ex animo tuo acceleratum dicar attuliſſe. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA C.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISSIMO D. Carolo Madrucio S. R. E. Cardinali Amplissimo, Tridentinorum Episcopo, & Principi Clementissimo.

EA est non modò ingenitæ, sed etiam acquisitæ benignitatis tuæ vis, Cardinalis, ac Princeps Augustissime, vt præsentes in tuì obsequium, absentes in venerationem alliciat singularem. Hanc ego, præ ceteris, & boni genij ductu, & proprij iudicij compulsu, mente indutam nunquam exui; quinnimò illud animo semper agitaui, vt intimis inhærentem affectum, exterioribus, quibuscumque liceret, indicijs aperirem. Vnde ab re minus me fecisse sum opinatus, qui Aldrouandi Philosophorum omnium sapientissimi de Piscibus operis prælo traditi, Illustrissimeque Salisburgensi Archiepiscopo, ac Principi dicati, exemplum ad te miserim. Istud verò

duplici de cauſa. Altera, quoniam eiuſmodi munus, & maiora etiam liberalitati tuæ debebantur, quæ Salmerini piſcis ad nos miſſione, librum locupletiorem, & ob id litteratorum Senatui gratiorem effecerit. Altera, quoniam, cum nulla vel diſertiſſima lingua meam in te obſeruantiam poſſit exprimere, hanc ipsam tibi æquè, ac meo Numini elingues animantes humili ſilentio teſtarentur. Quid de Auctore cum ceteris bonarum litterarum Mecœnatibus ſentires, optimè cognito, ſtatim animum appuli, vt eiuſdem de ſolidæ vngulæ quadrupedibus lucubrationes, quarum diuturno deſiderio Reſpubl. litteraria angebatur, in lucem editas tibi, Illuſtriſſime, Carole, ſacrarem; cuius præter Cardinalitiæ dignitatis ſplendorem, biceps in Epiſcopatu Tridentino auctoritas, auctoris demortui famam longè latèque propagatam in æuum tueretur ſempiternum. Neque renues confido, & propter iucundam ſcriptoris memoriam, cui ſtudioſiſſimè faues, & propter libri argumentum non vulgare, cuius lectione animum tuum mirificè deti-

detineri non ignoro. Quadrupedes igitur ad te veniunt, ea ſpe concitati, vt à maioribus tuis gregibus non arceantur. Equus certè non excludetur, cuius generoſo tergo toties inſederunt Io. Gaudentius, Aliprandus, Fortunatus, Georgius, Io. Federicus, Renatus Emanuel maiores tui armorum peritia in Belgio, Illyrico, Inſubria, Germania, Mauritania adeò illuſtres, vt fortem, ac prudentem belligerandi normam poſteritati reliquerint vniuerſę. Iſtam ad viuum exprimit Comes Gaudentius, qui adhuc mortalis, duplicis Germanorum legionis Tribunus, & Tyrolenſis militiæ Imperator, infracto animi robore, ad immortalem famam iter eſt aggreſſus. Quod Equus à te liberaliter, Elephas, credo, impetrabit. Enimuerò ſe tibi manſuetiſſimus ſiſtit, &, niſi Naturæ vinculis teneretur, ad maiorem venerationem, genua curuaret; vt oculis tibi obijciat typum Ludouici in Cardinalatus, Præſulatuſque faſtigio prædeceſſoris tui meritiſſimi: quem aſſiduo pietatis, religionis, necnon temperantiæ cultu virum ſanè auguſtum, Gre-

gorius XIII. Pont. Max. agnoſcens, Auguſtanis comitijs præfecit, Hiſpania ſuorum Cardinalium Ductorem ſapientiſſimum, Germania vigilantiſſimum Protectorem habuit: quem (vt vnico verbo expediam) in hæretica prauitate, cuius Supremus Inquiſitor fuit, abolenda, Catonis mores, vt in ceteris publicis muneribus renouantem, ne Roma in Vaticano aliquando maximum videret, eius ſola magnitudo repugnauit. Ecquis inficiatur, hunc totis viribus æmulatum merita Cardinalis Chriſtophori Tridentinæ, Brixinenſiſque Eccleſiæ Epiſcopi, & Principis omnium fama celeberrimi? Hic ſacroſancto Cardinalium Collegio à Paulo Tertio adſcriptus, primæ Concilij ſeſſioni ſub eodem Pontifice, in propria Eccleſia, iterum ſub Iulio Tertio interfuit: & quoniam animi celſitudine, grauitate, doctrina, ſapientia, rerum gerendarum dexteritate plurimùm vigebat, grauiſſimis Marcelli II. & Pij IV. iuſſu legationibus functus eſt; cùm nō pauca munera ad Romani Imperij gloriam Caroli Quinti Imperat. plurima eius

filij

filij Regis Hispaniarum Philippi II. nomine admirabili prudentia obiuisset: ex quibus illud satis fuerit in medium attulisse, quòd Mediolani Gubernator arcem in summa rerum angustia nutantem, ammoto Custode, proprij consilij, & vigilantiæ munimentis, Regiæ ditioni confirmauit. Præclaras maiorum tuorum virtutes eo libentiùs attingo, quòd aliæ in alios dispertitæ, omnes in te vnum confluunt, & virum perfectum in publica hac orbis scena certatim ostendunt. Talem te vidit, qui Reipublicæ Christianæ gubernaculum tenet, Paulus Quintus, cùm Ratisbonensi cœtui Legatum esse voluit: vbi quantum prudentiæ, dictorum, factorumque constantiæ specimen dederis, omnes, qui aderant, absentibus, magna cum laude, prædicarunt. Quid verò Monteroti sperandum? Eum, quæso, ne reijcias: cuius imago humilitatem virtutum omnium fundamentum effingens, præter stemma gentilitium, tuos mores apprimè deceret: intui namq. demissionem adeò propendes, vt laudes etiam meritas quàm maximè

auerseris. Auersaris profectò: sed quid proficis? Ampliorem laudatoribus de te loquendi materiam ingeris: cùm merenti multò laudabilius sit nolle, quàm debere laudari. Restant, qui propriæ impuritatis conscientia clarissimam aspectus tui non audent subire maiestatem, Mulus, Asinus, & Zebra. Hosce Christianæ Religionis oppugnatorum petulantiam referentes, ad te (quæ tua est humanitas) amanter compelle: vt istic morum nequitia defæcata, mundissimis quibusque armentis aggregentur. O felices quadrupedes, si vobis aditus pateat ad alteram Arcam refugij Carolum Madrucium Cardinalem Episcopum, & Principem, seu potiùs dicam, ob clementem in rebus administrandis iustitiam, Tridentinorum parentem amantissimum! Si læto vultu excipiamini ab eo, & per Italiam, & vltrà montes sine vllo periculo licebit diuagari. Felices quadrupedes nuncupaui: sed me feliciorem nomino, si, quorum clientelam suscepi, eosdem apud te patronos experiar: si quos tibi, Purpuratorum Patrum prudētissime,

do, dico, & ſacro, gratiam tuam non minùs optatam, quàm ſperatam mihi concilient. Id vnum ſupplex obſecro, atque obteſtor: quod ſi impetraro, ſatis, ſuperq. mihi retributum arbitrabor. Diù Apoſtolicæ Sedis, ac Tridentinæ Ciuitatis ſplendori, Ampliſsime Princeps, viue, & vale. Bononiæ.

FINIS CENT. I.

DOMINICI CÆSARII

EPISTOLARVM SELECTARVM CENTVRIA II.



EPISTOLA I. Romam.

IOANNI CANAVLIO Foroſempronienſium Epiſcopo creato.



CTAVIVS Accorombonus, qui, ſupra ſex luſtra, patriæ meæ Paſtor vigilantiſsimus præfuit, vt illud etiam pietatis indicium ouibus ſibi commiſsis exhiberet, earum cura abdicaturus,

turus, te successorem vidit, vnde Forosempronienses, Accorombono Præsule amisso, nihil damni fecisse intelligerent. Næ tui mores integerrimi, rerum humanarum, diuinarumque scientia, negotiorum peritia Summi Pontificis, eiusque sororis filij Cardinalis Burghesij gratiam, æqualium beneuolentiam, inferiorum obsequium tibi potuit conciliare. Qua propter de Pręsulatus honore gratulor: non tibi, cuius virtutum magnitudini haud par campus obtigit, vbi illas omnium oculis obijcias: sed patriæ meæ, Antistitem accepturæ virum, quem dignitates longè maiores expetunt. Reliquum est, vt, cui beneficium penè diuinum gratulatus sum, illud quoque perpetuum precer. Quod dum facio, te(que), cuius Episcopalis dignitas me à Clericorum parentium numero non excludit, Naturæ benignitas inter clientes recipiat, obtestor. Forosempronij.



EPI-

EPISTOLA II. Romam.

IO. BAPTISTAE DE S. PETRO Illustrissimi Senatus Bonon. apud Paulum V. Pontif. Max. Legato Ordinario.

EX multis honestissimis conditionibus, quæ meam apud Reuerendissimum Abbatem de Sancto Petro consanguineum tuum, seruitutem consequuntur, illam instar omnium facio, quòd mihi aditus ad beneuolentiam tuam fuit reseratus. Et quoniam ex propria animi celsitudine, non meritorum meorum exilitate hanc ipsam impertiris; eo arctiùs me deuinctum sentio, quo largiùs liberalitatem tuam experior. Sic vinctus, quid meritis tuis congruum efficiam, si iam liber nihil, quod ijsdem responderet, effeci? Voluntas obsequio tuo vincta, nullo certè clientum certamine vincenda, quod rebus fortunæ iniuria defuerit, promptissimi affectus vbertate compensabit. Illud potissimum fit, iam proximis Seruatoris omnium Nata-

litijs

litijs diebus, quibus quicquid feliciſſimi ominis, totius anni curriculo, mens auidiſſima conceperat, iam maturi ponderis impatiens, in tui reuerentiam deponit. Vtinam, ſicut omen te non deſpecturum confido; ita euentu quàm citiſſimo comprobatum intelligam. Si contingat, non minùs me tibi Patrono plurimum velle gaudebo, quàm illi, quorum votis fortuna reſpondet, ſe multum poſſe gloriantur. Bononiæ.

EPISTOLA III.

CAMILLO BALDO in Bononien. Archigymnaſio Philoſophiæ Profeſſori Ordinario Collegiato.

CLariſſima virorum fama auribus excepta, ſi aliquando præſentia confirmetur, in maiorem ſui cultum, & obſeruantiam impellit. Ego, cùm adhuc puer patrijs laribus continerer, multorum, qui, ſtudijs confectis, iſtinc ad nos remeabant, tuas

tuas virtutes prædicantium ex ore auidiſſimus pendebam, non ſecus, ac ipſi ex tuo, dum Philoſophiam in iſto Archigymnaſio interpretabaris, pendebant. Quicquid audieram, experientia tandem edoctus, oculatus teſtis factus, in tui obſequium adeò inflammor, vt hoc ipſum, quod alijs præſens non celaui, tibi cenſeam aperiendum. Tu humanitatis tuæ aditum (quod nulli ex ciuibus meis denegaſti) aperias, me in tuorum clientum numerum excipias. Pro eo, quod rogo, paruum certè, hoc eſt me ipſum defero: verum illud eſt, quod Philoſophi omnium celeberrimi animum paruis etiam acquieſcentem poſſit explere. Foroſempronij.

EPISTOLA IV. Romam.

FRANCISCO BONCOMPAGNO S. D. N. vtriuſque Signat. Referendario, & Abbati.

HErus, qui verè ſapit, famulum nulla re ſibi æqualem ſuſtinebit. Sed vbi quem

quem virum generis claritate, virtutum ornamento conspicuum, honore prosequatur; tantum abest, vt in eo æmulandi studium auerſetur, vt potiùs dilaudet, &, quibusdam velut stimulis admotis, ad maiorem venerationis amorem excitet. Hoc præsertim nomine herum meum sapientem appello, qui licet te quàm maximè colat; me tamen secum certare non verentem, neque obiurgat, neque odit: quinimò hac certè de causa diligit. Quò circa, dum meam tibi obseruantiam, quibuscunque licet indicijs, conor aperire, quod debeo, persoluo, hero gratum facio, illumque in dies mei amantiorem experior. Patere igitur, vt hosce Soteris Natiuitati dies sacros, cum imminentis anni exordio tibi felicissimos precer: tibi, inquam, viro non magis prædecessorum imaginibus, quàm proprijs animi dotibus Illustrissimo.

Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA V.

LVDOVICO FACHENETTO Marchioni, & Bonon. Senatori.

BEneficia, quæ suprà mediocritatem sunt, plerumq. grato accipientis animo acquiescunt: quæ inter vulgaria censentur, gratiarum actionem cum relatione desiderant. Sic fit, vt, quæ plus valent, minùs possint, non suarum, sed accipientis virium defectu. Is enim quo impensius beneficium reportat, eo grauiore debiti sarcina oneratur. Me quantoperè liberalitas tua, Marchio Illustrissimè, onerauerit, satis sentio, & iudico. Breui namquè, & facilè exoraui, quod ceteri non sine labore, & longo temporis spatio impetrassent. Beneficij igitur, quod in me contulisti, magnitudo nihil à me, nisi animi gratitudinem requirat. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA VI. Tudertum.

ANTHAEO CLAVDIO Tudertinorum Gubernatori.

IAm beatiſsimæ Chriſti Natiuitatis dies non longè abeſt, quo quiſque patrono, & Mecœnati ſuo perpetuam felicitatem ſolet, aut potiùs debet ominari. Et cùm ego inter tuos clientes ſummis beneficijs honeſtatus, primas mihi arrogem; ob id quemlibet eorum optima voluntate antecello. Sed, cùm vires fortunæ iniuria interclusæ deſiderij culmen non attingant, nunquam acquieſco; quamuis tibi affectum magis, quàm rem inſpicienti ſatis omninò faciam. Hinc fit, cur hoc tempore humana, diuinaque tibi ex ſententia procedere tam optem, quàm quod maximè. Et ſi rerum exitus ex meo deſiderio penderet, quicquid affectionum in me eſt, id totum eſſe deſiderium optarē, vnde me vnum inſtar omnium tuo commodo inſeruire intelligeres, cùm vnus inſtar omnium, omnia

nia tibi felicia auspicari non desistam. Sed cur longius pergo? Qui prudentia penè incomparabili clientum animorum adytus facillimè penetrat, ab illis verborum copiam non requirit. Bononiæ.

EPISTOLA VII.

FERDINANDO RIARIO Marchioni, Bonon. Senatori, & Imperatoris clauis aureæ à cubiculo.

PRudenter quidem Romanorum antiquitas strenarum vsum Cal. vnde annus aperitur, instituit: vt scilicet magnis viris optatæ ab omnibus felicitatis indicia apparerent. Ego verò, cùm nihil non prosperum hisce sanctissimis diebus tibi, Marchio Illustrissime, precaturus sim, ecquid infima conditio mea suppeditabit, quod meritorum tuorum magnitudinem assequatur? Equidem singula perlustrans, nihil, quod meum sit, extra me video. Vt igitur quicquid habeo, in possessionem

tuam deuoluatur, totum me tibi addico: Sed re diligentiùs inspecta, nec me quidem ipsum habeo. Meì namquè optatissima gratia tua olim impertiti, in patrocinium, dico, recepti ius vniuersum tibi cessit. Nihil igitur superest, nisi vt cessionem (quod libentissimus facio) ratam habeam. Tu, quicquid est, noui obsequij testimonium consueta animi celsitudine gratum habe, & felix viue. Bononiæ.

EPISTOLA VIII. Romam.

IO. NICOLAO TANARIO Protonotario Apost. & S. D. N. vtriusque Signaturæ Referendario.

SI nulla causa esset (sicut quàmplurimæ sunt) quamobrem meum tibi obsequium vendicaueris, illa quidem primas obtineret, quod Reuerendissimus Abbas de S. Petro te plurimi facit. Eius exemplum non sequi, nihil aliud esset, quàm improbissimi famuli munus exequi. Te igitur supra mediocritatem colo. Verùm

quia

quia satis animo meo non facio, nisi aliquod huiusmodi voluntatis indicium proferam; abs re minimè facturum me sum arbitratus, si qui Natalitij Seruatoris nostri dies imminent, tibi felicissimos optarem. Omen est ab homine tibi addictissimo, qui illud eximiè desiderat, vt nihil de rebus secundis, quas tua merita tibi adscribunt, fortunæ iniuria detrahatur. Bononiæ.

EPISTOLA IX.

FRANCISCO COSPIO Bonon. Senatori.

EGo, si quid sum, cùm à Bononiensium patriciorum benignitate sim, illis me totum debeo, nec doleo. Summis namque viris debitum debitoris laudi potius, quàm oneri assignandum. Tu, Illustrissime Cospi, in ijs es, qui me gratia sua dignum iudicantes, tot, tantisque beneficijs cumularunt, vt quisque apud me patroni nomen meritò sit adeptus. Quæ fuerint

beneficia, sigillatim non scribo, quoniam illorum numero, ac magnitudini stylum meum penitus inæqualem agnosco. Præterea non scribo, ne animum tuum huiusmodi lædam scriptione. A te liberalitatem noui. Quicquid beneficij confers, accipientis silentium, mercedem requiris. Vt liberialior sis, illud à me in præsentia ne postules. Quin æquo animo feras, vt te optimum patriæ Senatorem perinde, ac patronum clientibus benignissimum prædicem. Bononiæ.

EPISTOLA X. Fauentiam.

FRANCISCO MARIAE GASPARINO
Protonotario Apostol. & Illustriss. ac Reuerendiss. Card. Valentij Fauentinorum Episcopi Vicario Gener.

TE ab Illustrissimo Cardinale Valentio Præsulatus sui Vicarium Generalem cooptatum, mihi gaudere, tibi gratulari debeo. Tibi quoniam pendens ab illius

illius iudicio, qui inter purpuratos Patres oculatissimus censetur, non exigua tibi gloriæ insignia cōparabis, probatissimo Principis testimonio probatus. Mihi; quoniam sicut antehac longissimam locorum distantiam prætendens, opera mea nunquam, seu rarò vtebaris; ita post hac cùm propiùs accesseris, adeò vt vnius tantum diei itinere separemur, me amicum rebus tuis non inutilem loquaci mandatorum silentio declarabis. Hic non pauci iuuenes Fauentini studiorum causa commorantur. Istis de tua gubernandi ratione percontantibus respondeo, hanc esse adeò laudabilem, vt experientia magis cognosci, quàm lingua, vel disertissima queat explicari. Ex ijs nonnulli amicitiam tuam, me conciliatore, desiderant. In patriam, vt studiorum feriæ agitari cœperint, reuersuris litteras ad te dabo. Interea illud enixè oro, vt spe, quam de mea deprecatione conceperunt, cùm te maturè adierint, non fraudentur. Bononiæ.

EPISTOLA XI. Bononiam.

AENEAE MAGNANO
Bonon. Senatori.

RErum mearum turbæ eo minùs animum mihi perturbant, quòd te patronum, ac defensorem habent. Istas sedationem aliquando tandē sortituras confido: non à sorte, quæ optatis meis semper refragatur; sed ab ea, quæ sortis inuidiam frangit, à tua scilicet singulari prudentia. Illud dictum ne credas, vt tibi in mea clientela propriæ benignitatis impulsu currenti stimulos admoueam, verùm, vt gratias agam. Quinimò non vt agam, sed potius habere ostendam. Beneficia enim, quibus nulla gratiarum relatio par est, multo minùs earumdem suppetunt actiones. Tu hoc age, cunctos beneficijs tibi deuinci: cùm nemo non germanam nobilitatem censeat, cui comes adiuncta est liberalitas. Ex Villa.

EPI-

EPISTOLA XII. Pergulam.

IO. IACOBO GIVCCVLO Doctori Philosopho.

NOui animum tuum, Giuccule amantiſsime, prudentiæ munimentis adeò confirmatum, vt rerum aduerſarum impetu è ſumma tranquillitate excuti poſsit, non diuelli. Itaquè, ſi in fratris tui obitu aliquid ſolatij obijciam, non parum te videar offendere, qui etiam in maxima doloris cauſa, conſtantiæ, & fortitudinis documenta alijs præbere conſueuiſti. Attamen ſuſtine, ſi præſenti ſermone doloris acerbitatem clauſi pectoris anguſtiarum neſciam recludo; cùm animum contra res improſperas non ſatis munitum habeam. Suſtine, vt, qui N. viuum maximè dilexi, mortuum maximè lugeam. Lugeo, vt dolorem oſtendam, quem cùm viderint homines, tuum fratrem mihi cariſsimum fuiſſe intelligant. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XIII.

GVALENGO GHISILERIO Bonon. Senatori.

SI liberalis censetur, qui beneficium cùm dare posſit, iteratas preces non expectat, te, Illuſtriſsime Ghiſileri, liberaliſsimum prædico: cui ſtatim, vt amici mei à me neceſsitas innotuit, conſuetam liberalitatem libuit exercere. Alterum beneficij meritum deprecatori quidem adſcribitur; ſed in iſto, donantis benignitate potius conceſſo, quàm rogantis oratione extorto, quicquid eſt, tibi acceptum refertur. Amicus vnico nomine tibi debet, quòd ſcilicet beneficium accepit. Ego duplici de cauſa ſum deuinctus: & quòd impetraui, & quòd non falsò me impetraturum prædixi. Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA XIV.

IO. BAPTISTAE MAVRITIO I. C.

VVlgatiſsimum illud, priuatione deſiderium enutriri, nunc de te experimento comprobatur. Dum enim Poemate heroicis numeris conſcripto Rempublicam litteratorum priuas, illa in dies magis magiſque deſiderat. Scio, te modeſtiæ vinculis ab eius emiſsione retardari. Sed modeſtiæ amicis moleſtæ excuſatio non patet. Et ſi obijcias,

Scire tuum nihil eſt, niſi te hoc ſcire ſciat alter?

Ego reſpondeo. Qui diues theſaurum abſcondit, non ſibi, non alijs prodeſt. Poema tuum, theſaurus eſt, duplici de cauſa pretioſiſsimus: & quòd res ſacra eſt, & quòd ab ingenio, ac eruditione tua eſt. Iſtud ſi comprimis, laudem tuam comprimis, amicorum cupiditatem producis, inde ſtimulos, vt in lucem proferas, non parùm acuis. Si illorum aciem multum moleſtiæ

tibi

EPISTOLA XIII.

GVALENGO GHISILERIO Bonon. Senatori.

SI liberalis censetur, qui beneficium cùm dare possit, iteratas preces non expectat, te, Illustrissime Ghisileri, liberalissimum prædico: cui statim, vt amici mei à me necessitas innotuit, consuetam liberalitatem libuit exercere. Alterum beneficij meritum deprecatori quidem adscribitur; sed in isto, donantis benignitate potius concesso, quàm rogantis oratione extorto, quicquid est, tibi acceptum refertur. Amicus vnico nomine tibi debet, quòd scilicet beneficium accepit. Ego duplici de causa sum deuinctus: & quòd impetraui, & quòd non falsò me impetraturum prædixi. Bononiæ.



EPISTOLA XIV.

IO. BAPTISTAE MAVRITIO I. C.

VVlgatissimum illud, priuatione desiderium enutriri, nunc de te experimento comprobatur. Dum enim Poemate heroicis numeris conscripto Rempublicam litteratorum priuas, illa in dies magis magisque desiderat. Scio, te modestiæ vinculis ab eius emissione retardari. Sed modestiæ amicis molestæ excusatio non patet. Et si obijcias,

Scire tuum nihil est, nisi te hoc scire sciat alter?

Ego respondeo. Qui diues thesaurum abscondit, non sibi, non alijs prodest. Poema tuum, thesaurus est, duplici de causa pretiosissimus: & quòd res sacra est, & quòd ab ingenio, ac eruditione tua est. Istud si comprimis, laudem tuam comprimis, amicorum cupiditatem producis, inde stimulos, vt in lucem proferas, non parùm acuis. Si illorum aciem multum molestiæ

tibi

tibi allaturam cupis retundere, inutilis modestię aciem retundas. Bononiæ.

EPISTOLA XV. Bononiam.

VINCENTIO PONTELLO Clèrico Regulari.

ORationem funebrem, quam iudicium meum subituram misisti, non laudo, quia non possum: non accuso, quia non debeo. Quis enim infra mediocritatem ingenij laudes summo viro debitas proferat, sine suspicione parcitatis? Quis eiusdem scripta censorio animo legat, in quibus lectissimæ sententiæ cum lectissimis verbis numero decertant? Itaquè ne Oratoris facultatem mihi arrogem, auctoris laudum enarrationem subterfugio. Ne animi improbitatem cum dedecore simulem, ab accusatione abstineo, illud certè non dissimulans, me tanta delectatione animi eam legisse, vt iustis Serenissime feminæ Ferrariæ olim Ducissę peractis interesse, necnon eorum, qui interfuerunt, suspiria,

& sin-

& singultus audire, pallentes vultus contemplari, intimum cordis dolorem introspicere mihi viderer. In causa hæc sunt, cur non satis constet, vtrum feliciorem nominem Ducissam, cuius eximijs meritis nõ dispar Orator contigit, an Oratorem, cuius perenni eloquentiæ laudum materia non defuit. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XVI.

CAROLO RVINO BONON. SENAT. & Comiti.

INter patricios iuuenes, quibus, vt aliquid obseruantię indicium exhiberem, præsentis libelli scriptionem subiui, tu, Illustrissime Carole, animo subijsti, cuius optima erga me voluntas non mediocrem animi gratitudinem videtur postulare. Itaquè, ingratus ne sim, munus per litteras defero. Tu lætus accipe, & nisi alia de causa, ea saltem esse gratum ostende, quòd ne opusculum cum omnibus foret commune, amicorum precibus, qui typis committen-

dum

dum iudicarunt, denegaui. Quod dono, paruum non diffiteor. Sed (quæ tua est magnitudo animi) parua ne despicias, cùm à donantis inopia, maiora non liceat expectare. Bononiæ.

EPISTOLA XVII.

ROMVLO PARADISO Illustrissimi, & Reuerendissimi Card. Capponij Bonon. de Latere Legati à secretis.

O Mendaces homines, qui famam mēdacij matrem appellant! Equidem ab illis in posterum dissentiam, nunc reipsa totū aliud edoctus. Quod enim communi Bononiensium, & exterorum voce agitatum audiui, te, Romule præstantissime, inter ceteras virtutes, quæ animum tuum exornant, humanitatem etiam erga ignotos exercere, nihil à veritate alienum cognoui. Illud tamen non admiror, cùm non temerè, sed diuinitùs magis Paradisi cognomen acceperis; quippè qui nihil non iucun-

iucundum, non delectabile, & quod omnium animos nō summoperè afficiat, emittas. Id ipsum ego heri vesperi sum expertus, cum me ad gratissimum sermonem prouocasti. Gratissimum sermonem nuncupaui, nisi quòd ingratę fuerunt tuæ gratiarum actiones, quòd de te optimè sentiam, & prædicem. Veriùs me tibi plurimum debere affirmasses, qui me, licet virtutis expertem, virtutis tamen studiosissimum (dum istam in alijs dillaudo) præbendi facultatem obicceris. Illud suprà tibi debeo, quòd si quid à me per priuatum amicorum testimonium, quasi per manus, meritis retributum accepisti, tu coram, publicè, nempè in foro, & vnico liberalitatis impulsu, rependendum iudicasti. Huiusmodi allocutionis honore, qui ad amicitiam tuam aditum mihi reserauit, eo magis me affectum sentio, quòd alijs iam diù varijs artibus optatus, mihi timore quodam, ne te viro assiduè occupato molestus essem, insperatus contigit. Nunc isto chyrographo amicitiæ tuæ me addico. Tu, si libet, addictum excipe, epitaphia, quæ mitto,

to, lege, & corrige. Censuræ tuæ libens subijcio, non dubia spe fretus, quæ de Cõcino conscripsi, à Paradiso, vbi nihil inconcinnum, ad me concinna penitus reditura. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XVIII.

HIERONYMO ROSSIO.

TEmporis angustia illud videbatur obijcere, vt petitioni tuæ refragarer: viri namq. merita, quẽ mihil audis argumentum proposuisti, non mediocris, sed summi ingenij partum requirunt. Quia tamen genium tuum in cupiditatibus ardentem noui, noui pariter, illum haud fraudari posse absque graui familiaritatis læsione. Istud causæ me impulit, vt præsens elogium scriberem. Vtrum ex viri dignitate, alij viderint, tuque præsertim, non ego. Cùm enim (quod Comicus prudentissimè ait) veritati congruat,

— vix decimus quisque est, qui ipsus se se nouerit:

vi-

vigesimus profectò erit, qui res suas rectè iudicet: res enim nostræ longius à nobis distant, quàm nos ipsi. Equidem istud, quicquid est, laudis mihi ascribo, me inter decumanos esse, qui se ipsos norint. Siquidem ingenij mei sterilitatem agnosco, & fateor. Sed istam in Naturæ, quam nouercam experior, illiberalitatem nemo, nisi iniuriosus non reijciendam iudicabit. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XIX. Vergianum.

VGOLINO COSTAE.

QVid noui Gallia de Concino apud Reginam olim gratiosissimo nuper attulerit, nemo aut pauci saltem ignorant: nempè in fortunæ gremio necatum, à plebe effossum, frustatim sectum, crematum, ventis proiectum. O miseram Aulicorum sortem, qui rei auidissimè inhiant, quam si fuerint assecuti, cum capite simul amittunt! Præstat igitur paruis acquiescere, quàm magna cum periculo ambire.

bire.

bire. Sed ne videar Aulicis præcepta tradere, ad Concinum redeo. Mortis genus in eo si spectes, obscurum. Sin multa Auctorum scripta, quæ illius necem consecuta sunt, satis profectò clarum. Ego non nulla epitaphia conscripsi, non vt cum ingeniosissimis viris certarem, sed vt pomeridianum somnum, hisce æstiuis diebus, tergiuersarer. Ex illis, quinque accipies; ea tamen lege, vt legas, liberumque iudicium feras. Legem apposui, modestiæ tuæ non ignarus, quæ aliena falsò potius laudare, quàm verè reprehendere consueuit. De illis si rescribas, mihi gratissimum facies. Sin minùs, quam ante hac modestiam, in posterum timorem, ne de rebus tuis nimis acutè sentiam, nominabo. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XX. Durantem.

PETRO MATTHAEO TYRANNO.

QVod ego de amico iam inde à puero, ex præmatura armorum delectatione

tione

tione præsagiui; nunc euentus ipse (vt scribis) comprobauit. Vix enim adolescens ad bellum proficisci audacter constituit. Hinc illi applausus, hinc illi subrisus, cùm ego bellicam artem in concione laudaturus, Horatianum illud afferebam:

——— ——— ——— ——— ——— ——— ——— hora,
Momento, aut cita mors venit, aut victoria læta.

Istud consilij nemo, qui sapiat, accusabit. At festiuo famulorum, equorumque numero stipatus, festiuam pariter auri copiã impendet. Idcircò benè audiet; quippè qui licet adolescens cum sene prudentissimo Hegione animo suo sic agitauerit.

Ego virtute Deùm, & maiorum nostrùm
diues sum satis
Non ego omninò lucrum omne esse vtile
homini existimo:
Scio ego multos iam lucrum luculentos
homines reddidit.
Est etiam, vbi profectò damnum præstet
facere, quàm lucrum.

Illi certè præstabit, quoniam apud suos in maximo otio negotiosus, largiùs, nec ta-

men æqualiter honestè impendisset, & ideò consumptum veriùs, quàm insumptum nominasses. Cui namquè adolescenti ingenita nobilitas, post parẽtis obitum, opes, ac delicias, ad satietatem, suppeditat, dolos, & fallacias struere Cupido non cessat. Amico igitur ex animo gratulemur, qui, quod iam pridem didicit, memoria tenuit.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.

Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXI.

HOMOBONO DE BONIS Clerico Regulari S. Pauli, Illustriss. & Reverendiss. Card. Ludouisij Archiep. Bonon. Pœnitentiario, & librorum Censori.

OPerà, quæ in lucem à te prodierunt, Homobone eruditissime, boni omnes manibus conterunt, lingua, & stylo certatim collaudant. At mali? A lectione abstinentes, eminùs verentur, & reuerentur. Nec sanè mirùm. Illud virtutis

est,

eſt, improbis ora occludere, inde ſilentium, pro ingenti laude, reportare. Ego non laudo, ne inter bonos locum mihi videar arrogaſſe. Porrò non laudo: quia oratio mea tantarum laudum non ſuſtinet argumentum. Ne tamen cum improbis profitear, cominùs obſeruo, amplector, ex iterata ſæpius lectione, fauentibus ſuperis, aliquid vtilitatis excipio. Sed iſtud aliquid eiuſmodi eſt, quæ rerum ſummam contineat. Liber, qui de Humanæ vitæ ſtatibus agit, viuere: qui de Indulgentijs, ſpiritualiter ditari: qui de caſibus reſeruatis (ne qua excuſatio pateat ignorantiæ) difficillima quęque animos arctius adſtringentia enodare: qui de ægrotantium auxilijs, mori me docet. A te igitur non aliquid, ſed omnia: vita ſcilicet, ac mors. Sed mors vitæ affinis ſempiternæ: ſed vita alteram mortem deletura; mortem, in qua illud miſerrimum, nihil boni, niſi quod à morte abſit, cenſere, & nunquam mori. Quid alij pijſſimis lucubrationibus tuis debeant, ipſi viderint: quid ego, ex ipſarummet eruditione (vt hoc amplius debeam) iam vidi.

men æqualiter honestè impendisset, & ideò consumptum veriùs, quàm insumptum nominasses. Cui namquè adolescenti ingenita nobilitas, post parẽtis obitum, opes, ac delicias, ad satietatem, suppeditat, dolos, & fallacias struere Cupido non cessat. Amico igitur ex animo gratulemur, qui, quod iam pridem didicit, memoria tenuit.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.

Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXI.

HOMOBONO DE BONIS Clerico Regulari S. Pauli, Illustriss. & Reverendiss. Card. Ludouisij Archiep. Bonon. Pænitentiario, & librorum Censori.

OPerà, quæ in lucem à te prodierunt, Homobone eruditissime, boni omnes manibus conterunt, lingua, & stylo certatim collaudant. At mali? A lectione abstinentes, eminùs verentur, & reuerentur. Nec sanè mirùm. Illud virtutis est,

est, improbis ora occludere, inde silentium, pro ingenti laude, reportare. Ego non laudo, ne inter bonos locum mihi videar arrogasse. Porrò non laudo: quia oratio mea tantarum laudum non sustinet argumentum. Ne tamen cum improbis profitear, cominùs obseruo, amplector, ex iterata sæpius lectione, fauentibus superis, aliquid vtilitatis excipio. Sed istud aliquid eiusmodi est, quæ rerum summam contineat. Liber, qui de Humanæ vitæ statibus agit, viuere: qui de Indulgentijs, spiritualiter ditari: qui de casibus reseruatis (ne qua excusatio pateat ignorantiæ) difficillima queque animos arctius adstringentia enodare: qui de ægrotantium auxilijs, mori me docet. A te igitur non aliquid, sed omnia: vita scilicet, ac mors. Sed mors vitæ affinis sempiternæ: sed vita alteram mortem deletura; mortem, in qua illud miserrimum, nihil boni, nisi quod à morte absit, censere, & nunquam mori. Quid alij pijssimis lucubrationibus tuis debeant, ipsi viderint: quid ego, ex ipsarummet eruditione (vt hoc amplius debeam) iam vidi.

Ne ingratus sim, me totum debeo. Quare me totum addico. Tu addictum humaniter excipias, & Christianæ Reipublicæ vtilitati valeas. Bononiæ.

EPISTOLA XXII. Durantem.

CLAVDIO SCYRO.

TV meam in Tacito explicando rationem, ego tuam in eodem percipiendo diligentiam prædico. Quorsum hæc? Par pari redditum? Ita sanè censebam. Sed rem mecum ipse reputans, secus habere intelligo. Tu humanitatis abundantia, me supra æquum, ego verborum defectu, te infra meritum laudó. Si æqualem gratiarum actionem postulas, tu non nihil de laudibus meis demas, vt ego non parum tuis adiungam; nempè quòd haud nimio officiorum pondere me oneres. Si feceris, par pari redditum iudicabo. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XXIII.

BERNARDINO MARISCOTTO.

TE ſcriptionibus meis adeò delectari audio, vt voluptati laudem nec vulgarem adiungas. Alterum non admiror, diù expertus, illud tibi modeſtiam ſuadere, vt quæ amicorum ſunt, amico animo aſpicias. Alterum intelligentia non aſſequor, nempè res meas inſipidiſſimas emunctæ naris viro quàm optimè olere. Huius rei cauſa in amorem pariter reijcienda, qui omnibus cibis condimento eſt; quin fel ipſum, mel facere conſueuit. Hinc gratias tibi ago immortales; vtque amorem in me tuum exercere valeas, præſens epitaphium in Iulij Cæſaris Claudini obitum ad te mitto, non eo quidem animo, vt illinc tu voluptatem haurias, ego laudem. Quid enim voluptatis afferat Philoſophi, & Medici præſtantiſſimi diſceſſus à nobis æternus? Ego verò quid laudis attingam, qui virum omnium ore celebrandum, tenui calamo velim circumſcribere? In iſta,

qualiſcumque eſt, lucubratiuncula, non mortui encomium (cùm tenues ingenij mei vires illud nequeant ſuſtinere) ſed eius obſequium reſpexi: vt cui inter viuos eximijs animi dotibus cultum, & obſeruantiam præſtiti, id ipſum illius famæ nulla temporis inuidia conſumendæ atteſtarer. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXIV.

MARTIO MALVETIO.

INgenita viris nobilitas faſtum ingerere conſueuit. Tu verò à tua nobilitate fomentum, & materiam hauris, vnde comitas, morumque ſuauitas augeatur. Iſtam virtutem tibi peculiarem ciues heſteris conteſtantur, heſteri ciuibus magnoperè gratulantur. Cùm enim primaria Ciuitatis laus à beneuolentia in aduenas oriatur, tu iſto potiſſimùm nomine, optimi patricij nomen mereris, qui patriam huiuſmodi laude non mediocriter adauges. Ego permultos, qui iſtuc ſtudiorum cauſa acceſſerunt,

runt, humanitatem tuam prædicantes audiui, vt potè clientes firmiſſimo patrocinio tuo decoratos. Quamuis nobilitas inter fortunæ bona, quibus nihil meremur, aut demeremur, cenſeatur; huic tamen cùm virtutis indicium ſit, cultus, & obſeruantia debetur. Dehinc ſi mores ſui ſimiles admittat, contrarios excludat, omnium animos, ac voluntates perpetuò ſibi deuincit. Hac de cauſa me tibi deuinctum fateor: vtquè vera me fateri ſentias, meum erga te obſequium experiaris, quicquid virium in me eſt, nulla re, aut loco otiari feras. Bononiæ.

EPISTOLA XXV. Durantem.

PETRO FRANCISCO MACCIO I. C.

LIber de bello Aſdrubalis à tuo piæ memoriæ parente conſcriptus, apud nos litteratorum manibus volutatur. Alterum de Piſaurenſi portu non vidi. Eius tamen præſtantiam à torque aureo, quo Sereniſs.

Vrbinatium Princeps eum decorauit, facillimè coniector. Quàm vellem, vt torques Adamantis naturam induisset, quò virum insignem arctissimè vinctum, contra nigræ Deæ feritatẽ, diutiùs apud mortales, communi mortalium beneficio, detinuisset! Quid verò cuncta ad vtilitatem nostram referentes, aut ab inuidiæ suspicione nihil alieni, felicissimam illius sortem deploramus? Si Christianæ religionis pietas illud fidei à nobis exigit, singulos homines tunc Dei iussu mortales exuuias ponere, cùm is pro illorum salute magis esse intelligit; parentem tuum in æternis, ac beatis sedibus, laborum omnium, quos iuuentutis instruendæ, & Reipubl. litterariæ varijs scriptorum generibus iuuandæ causa non grauatè pertulit, debita frui mercede nemo non sperat. Valetudinem tuam, vnde mea valetudo pendet, cura diligenter, vt mutuis litteris, quarum desiderio angor, nobis colloqui liceat. Bononiæ.

EPISTOLA XXVI.

GALEATIO ZAVALIO.

DVm me ad villæ tuæ delicias humanissimè inuitas, cur affluentem peponum, viniique optimi copiam proponis? Fortasse vt attrahas? Nihil violentius me potest attrahere, quàm consuetudine tua fruendi desiderium. Veniam, si istam conditionem acceperis, vt, sicut non inuitus accedo; ita per te irrogatum liceat recedere. Nunquam supra diem libuit rusticari. Nunc multo minùs, cum vrbana sedes, propter assiduas occupationes, absentiā meam licet breuissimam ægrè potest sustinere. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXVII. Forosempronium.

PAVLO ACTIO I. C.

CVm ad proximas litteras tuas nihil rescripsissem, te fortasse in illam suspicionem conieci, me animo agitasse de silen-

silentio tuo, quod non breui scriptione accusaui, tacendi vicissitudine compensando. Non ita sanè. In ijs non sum, quorum animus ad vltionem facilè propendet. Secus si esset, litteras missitarem, non ignarus, te magis amici loquacitate, quàm eiusdem silentio offendi. Quinimò non statim rescripsi, ne in eandem necessitatem te adducerem, qui scriptionis onus omnium grauissimum existimas. Vt animi mei, qui nunquam est immutatus, propensionem agnoscas, en tuæ obsequor voluntati, en epistolæ menda (vt flagitas) refero. Vbi te Picam, me Philomelam nominas, dupliciter peccas. Siquidem taciturnitas tua Picæ non respondet garrulitati, neque vox mea Philomelæ concentum æmulatur. Sed intelligo, cur ijs nominibus vti libuerit, nempè vt illorum improprietate, meam loquendi improprietatem deluderes, qui te ariolum non augurem appellaui. Verùm, quia lusoria satis egimus, vt ad seria transeamus, hæc de Concino accipe, & vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XXVIII.

IOANNI CALDERINO Comiti.

TV altero filio, integra vxoris salute, auctus, tanta me lætitia cumulasti, quantam mea apud te non vulgaris postulabat clientela. Summa igitur causa tibi summoperè gratulor. Pulcrum est enim, & iucundum nobili viro filios suscipere sibi, ac familiæ vniuersæ monumentum. Faxit Deus (quod ego cum spe ominor, & precor) vt isti, vnde originem duxerunt, integerrimam viuendi regulam ducant, vtriusque generis maiorum, quos posteritas cum laude admiratur, similes diutissimè viuant. Illud si eximijs parentum meritis contingat, contigerit etiam, vt qui eorum fœtibus feliciter editis oppidò gauisi sunt, ijsdem, optimarum artium cultu, crescentibus impensiùs collætentur. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XXIX.

ALEXANDRO BVCCAFERREO.

QVi Romanas leges à latoribus, aut à rebus tantùm appellatas affirmant, longè quidem errant. Ego (quoniam opinionem meam requiris) existimo, istas ab illius etiam anni, quo ferebantur, Consulibus nomen accepisse. Illud ne dubiè credam, impellit Corn. Tacitus Romanarum rerum scriptor celeberrimus, qui, cùm in legis de cœlibatu mitigandæ mentionem incidisset, hanc Papiam Poppæam, cùm tamen Augustus tulisset, appellat. Auctoris verba, quæ iij. Annal. extant, vt res clarior appareat, subijciam. *Relatum deinde de moderanda Papia Poppęa, quam senior Augustus post Iulias rogationes incitandis cælibum pœnis, & augendo ærario sanxerat.* Neque mirum alicui videatur, Consules huiusmodi honore ab Augusto impertitos. Iulij Cæsaris enim parentis sui nece miserrima edoctus, quàm arduum,

quàm

quàm periculoſum in ipſo imperij occupati limine ſummam auctoritatem experiri, non nulla in Conſules reiecit, quæ Reip. haud labefactatę ſpeciem referrent, nec tamen Imperatoriam dignitatem imminuerent. Hæc ad propoſitæ quæſtionis ſolutionem ſatis futura opinor, & deſidero: quod num contigerit, à te ſcire expecto. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXX. Ripas.

SEBASTIANO MAVRITIO I. C.

SI fortè de miſerrimo Concini, qui apud Reginam Gallorum, inſtar omnium fuit, vitæ exitu fama iſtos colles indignata præteruolauit, epitaphia ipſius famæ iniuriam deletura ad te mitto. Quæ præſentium amicorum precibus à me fuerũt conſcripta, tacitis abſentium votis non erant deneganda. Si amicorum oculis digna iudicaueris, illorum aſpectui ne ſubtrahas. Sin minùs, vt iſtic etiam aliquid lucis aſpiciant, Vulcano committas. De Bononien-

ſium

sium sententia ad te scriberem, ni vererer, ne magis illorum exemplum, quàm genij tui libertatem secutus, in amici laudẽ propenderes. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXI. Forosempronium.

FERINANDO CHARTARIO I.C.

ARculam cum ficubus aridis à Mulione accepi, pro vectigali, & vectura, quod æquum fuit, persoluto. Eas Reuerendissimo Abbati de S. Petro à te detuli, rogans, ne muneris exilitatem, sed donantis animum inspiceret; qui etiam maiora, si posset, libens, ac volens largiretur. Interim, quicquid esset, læto vultu acciperet, haud obscurum clientelæ, quam apud illum profiteris, testimonium. Munus sibi gratissimum respondit, artificiumque magnoperè laudauit; quòd in re arida optimę voluntatis propensionem nunquam non virentem patefeceris. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXII. Durantem.

PETRO PIERIO.

TVus in patriam reditus amicorum animos exhilarauit. Spes namque apud eos reuixit, fore vt, quemadmodum longè absens, à scriptionis labore longissimè aberas; sic patrijs laribus restitutus, ad consuetam scribendi exercitationem reuertaris. Ego in istis non sum, quia tuo discessu non audito, nihil tristem, reditus lętificare non debuit. Illinc certe non parum lætitiæ percepi, quòd Migninus noster mihi nunciauit, te Romæ cum amicis iucundum de nobis sermonem agitasse. At nescio, vnde inter eos rumor serpserit, me quàm citissimè Vrbem aditurum. Si me Curiæ addicunt, acerbissimarum curarum diem dicunt. Romana Curia, inquis, Oceanus est, vbi varios honores, piscium instar natantes quilibet expiscatur. Fac ita esse. Piscatorum vitam piscatores ipsi quotidiano periculo edocti, in Rudente Plautino

pau-

pauperrimam, & infelicissimam vocant, cùm aiunt.

Cibum captamus è mari: sin euentus non venit,
Neque quicquam captum est piscium, salsi, lautiquè purè;
Domum reddimus clanculum, dormimus incœnati.

Equidem fateor, qui antiquitùs seruitio promptiores forent, opibus, honoribusque elatos fuisse. Verùm illa tempora abierunt; adeò vt, qui nostra ætate studiosiùs seruit, in dies studiosiùs egeat. Quod fratres Anglicani scriptum reliquerunt, audi.

Vitam, animas, operam, sumptus impendimus Aulis:
Præmia pro meritis quæ retributa putas?
Aula dedit nobis rescripta notata papyro,
Et sine mente sonos, & sine corde manus.
Paucos beauit Aula, plures perdidit,
Sed hos quoque ipsos, quos beauit, perdidit.

De Curia, hæc esto clausula, me tuta præsentia (vt cum Tacito loquar) malle, quàm incerta, & periculosa. Vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA XXXII. Patauium.

IOANNI LVGIO
Doctori Theologo.

ECquis non seriò præuertat, quod proximis litteris per iocum expressisti, me scilicet mortuum esse, qui iam diù à scriptione cessaui? Equidem mortuus sum; & tamen scribo, vt miserrimam sortem meam apud virum amicissimum deplorem: quoniam, vbi ceteri viuunt, ego mortuus existimor, & sum. Vitæ meæ cursum iam pridem impletum cognoueris, si me amicis omnibus, quin ipsi mihi inutilem esse, cogitabis. O monstrum, inquis, mortui scribunt! Ita sane. Mortuus, repeto, sum, & scribo, vt paratam tibi obsequendi voluntatem, me ne mortuum quidem deseruisse intelligas. Vale. Bononiæ.



EPISTOLA XXXIV.

IOANNI COTTVNIO Philosopho in Bonon. Archigymnasio Græcarum Litterarum Professori Primario.

PVblicos labores tuos, per concordia Illustrissimi Senatus suffragia, mercedis auctione honestatos, lętus audiui, tua, & ipsiusq; Senatus causa. Tua, qui re ipsa experiris, in isto celeberrimo Archigymnasio adhuc florere tempora, cùm

Virtus intaminatis fulget honoribus.

Senatus, qui insignem mercede conductorum operam vndique sibi paratam sentiet, dum istam ne hilo quidem debiti præmij se fraudatam sentit. Ego, ne iucundissimo amicitiæ fructu te fraudem, intima pectoris mei sensa per istas fidissimas nuncias refero. Tu eadem animo tuo per fidem, me antiquis moribus istud gratulationis officium persoluere libenter reserato condas, vtque maiora in dies desiderio tuo, quæ meri-

meritorum limina non excedit, congruentia contingant, optare tibi persuadeas. Bononiæ.

EPIST. XXXV. Coloniam Agrippinam.

FABIO ALBERGATO I. C.

CVm tuo à nobis abitu, meam in te beneuolentiam nequaquam abijsse, ex præsenti epistola cognoueris, supra parentis tui testimonium; vnde itineris à te suscepti ordinem singulis ferè diebus percontatus sum. Illud enim tibi felicissimè confectum gratulatus, Germanicam sedem in dies feliciorem auguror, & spero, tuarum virtutum cumulo subnixus, quæ Illustriss. Apost. Sedis Nuncio patruo tuo te, vltra debitum consanguinitatis, gratissimum effecerint. Interim istæ, quæ prudentiam nutriunt, immatura ætate, maturis muneribus aptum declarabunt: vt cum Aui nomine, illius famam latè, longeque propagatam tibi legitimo heredi contigisse ostendant. Bononiæ.

EPISTOLA XXXVI. Bononiam.

PHILIPPO MVSOTTO.

EGo ab illis dissentio, qui veteres non supra tres vices in conuiuijs bibisse affirmant. Quinimò illorum sententiam admiror, ignarus profectò, cuius luculenti scriptoris testimonio fulciatur. Antiquos homines non vinolentos facio; sed tam abstinentes haud inuenio, vt ternarium numerum lege scripta, vel consuetudine in bibendo sibi constituerint. Sarsinatem Comicum inter latinos facilè principem legentibus illud occurrit, veteres quinque, septem, & decem vini cyathos hausisse. De quinque extat clarissimum testimonium in Sticho Act. V. Sc. IV. vers. XXIV. vbi Stichus Sagarino interroganti, quot cyathos biberet? respondit.

—— tot, quot digiti sunt tibi in manu.

De septem, legatur Persa Act. V. Sc. I. vers. XVIII. illic Toxilus diem suum natalẽ hilariter agitaturus, post multa puero sic iubet.

—— age

— — — — — age puere,
A summo septenis cyathis committe hos
ludos, moue manus, propera.

Postremò denarius numerus ex eodem Sticho Act. & Sc. suprà citata vers. XV. colligitur, vbi Stichus innuit, se velle haurire decem vini cyathos: quia tot litteris constat nomen amicæ Stephanium. Vnde illud etiam constat, antiquos in amorem adeò propendisse, vt inter cyathos amasiæ nomen colerent. Iam verò me de cyathis scribentem cyathi ad cœnam appellant. Quare tu longior vt sim, ne compelle, & post felicissimum per Galliam, & Germaniam itineris reditum, feliciter viue. Ex Villa.

EPISTOLA XXXVII. Bononiam.

MATTHAEO SAGACIO.

QVam veriùs te *Sagacium* appellarem, nisi scriptiones meas italicas, & latinas tot tantisque laudibus eleuares! Si quid tamen peccatum est, id

totum ab amore est. Fac istum non nihil cohibeas. Sic enim te haud plus æquo amantem; haud plus æquo laudantem, in amando, æquè, ac laudando sagacissimum Sagacium nominabo. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXXVIII. Bononiam.

BERNARDINO FERRARESIO in Bonon. Archigymnasio Instit. Professori.

PArum abfuit, quin Francisci Scortiæ Societ. Iesu Presbyteri epistolam non miserim: non vt illis æquè libenter promissa, ac multùm desiderata lectione te fraudarem; sed ne quæ à summo viro de me laudes sunt, alienis oculis, quasi gloriolam captaturus subijcerem. Quid verò laudes? Imò culpas, & errata. Dum enim Scortia ingenium, & artem meam commendat, hæc non qualia profectò sunt, sed qualia esse debent, diligentissimè describit: adeò vt tantumdem ego ruboris ex meis laudibus traham, quantum lætitiæ alij ex

suis

ſuis haurire conſueuerunt. Non igitur mittenda fuit epiſtola, ne in grauiorem ruborem me immitterem. Quin potius mittendam decreui, vt hinc ad te ſcribendi anſam arriperem, non expes; vt quicquid mœroris ex Scortiæ litteris, ſupra merita laudatorijs, animus contraxit, gratiſſima tuæ ſcriptionis viciſſitudine diluatur. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXXIX.

IO. DOMINICO BARBETTAE in Bonon. Archigymnaſio Inſtitut. Profeſſori.

NEſcio quàm æquè doleas, te beneficia perdidiſſe, quæ apud N. collocaſti. Perditum ne dicas, quod vbi poſueris, non ignoras. Si cuſtodis indiligentia perierunt, culpa tua eſt, qui homini parum fideli credidiſti. Sin illud ſignificas, te optimè meritum de homine immerito, hoc eſt, ingrato, te ipſum accuſa; qui nulla meritorum ratione habita, ingratorum turbam

auxisti. An nescis, ex nimia liberalitate ingrati animi vitium oriri? Quinimò & odium. Si mihi vel experto fidem subtrahis, Tacitum audias. *Beneficia eòusque læta sunt, dũ videntur exsolui posse, vbi multùm anteuenere, pro gratia, odium redditur.* Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXX. Forosempronium.

PAVLO ACTIO I. C.

LItteræ tuæ, quarum breuitatem Seruatoris passioni sacrorum nomine prætexuisti, non dubiam spem mihi attulerunt, te post eiusdem resurrectionem ad frequentem scriptionis laborem surrecturum. Sed istud, quicquid spei fuit, mihi omninò decollauit. Christus multis ab hinc diebus resurrexit: tu somno adhuc sepultus iaces, & fortasse expectas, dum Cæsarij vocibus susciteris. Illud si cogitas, en me quasi rupturus, vociferor. Exurge Paule, vt vir tibi amicissimus exurgat à mœrore, in quo diuturni à te silentij vinculis deti-

detinetur. Si vocibus, quæ tibi aures verberant, ad cor aditum profundissimus sopor intercludit, quid hinc abiens, mihi pollicitus es, per quietem, obsecro, in mentem reuoca, & vigilans præsta: ne te verbis liberalem, & parcum cogar prædicare. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXI.

VGONI ALBERGATO.

INgenium meum à te viro æquali prudentia, ac nobilitate ornato, illuc æstimationis extolli, vt rerum, quæ in pulcrioribus litteris plurimum difficultatis habẽt, curam demandes, tuæ in me beneuolentiæ adscribo. Ista quo longiùs merita, quæ parua in me sunt, antecellit, eo magis suasit, vt monumentum, quod postulas, scriberem. Illuc animum, & vires appuli: eo tamen discrimine, quòd illum supra necessitatem, quoniam abundat; istas infra mediocritatem, quoniam infra mediocritatem iacent. Attamen ea spe nitor, fore vt imperio

perio tuo excitatæ, non omninò inutiles appareant. Vtcumque res habeat, animi tui magnitudo voluntatis meæ propensioni acquiescat, & quod supra me est, à me iniuriosè non requirat. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXII.

IOANNI FRANCISCO ROSSIO.

SI Persij Satyras laudare cessem, ab ijs longè dissentiam, qui res ingeniosissimas laudant. Plurimum, inquis, habent difficultatis. Verùm hac de causa pulcherrimæ. Imò ex ipsa difficultate, primarij apud Satyrarum scriptores præcepti executio apparet. Quamuis enim à singulis non intelligantur; ab omnibus tamen intelligi possunt. Si studium in istum Auctorem contuleris, te suscepti laboris nunquã pœnitebit. Confer, sed eo consilio (quoniam consilium petis) vt improbos mores cum Persio potius odisse, quàm scriptis discas agitare. Sæpe enim fit, vt, qui in mores inuehitur, etiam personas nominatim inse-

insectetur. Illud verò quàm periculosum sit, eos interroga, qui pro verbis verbera fœnerato retulerunt. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXIII. Ripas.

SEBASTIANO MAVRITIO I. C.

ECquis, obsecro, admiretur, amicitiam nostram tam arcto vinculo adstringi, si sciat, nos eadem, eodem tempore, animo euoluere, &, quod maius videri possit, rebus perficere? Tu de rerum tuarum statu me admonendum cogitas: id ipsum ego à me tibi præstandum animo assequor. Tu III. Id. calamo indulges, eodem ego die totus versor in scriptione.

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Consentire dies, & ab vno sidere duci.
Nostra vel æquali suspendit tempora libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Diuidit in geminos concordia fata duorum,

Sa-

Saturnumquè grauem nostro Ioue frangimus vna.

Æquum igitur fuit, vtriusque nostrùm litteras inter se congredi, animis, manibusquè inter se quàm maximè congruentibus. Quid meis factum sit, ignoro. Equidem scio, à tuis illud euenisse, vt animus lectione, vel creberrima non sit omninò expletus, & præsertim in eo, vbi tuam vitæ rationem edisseras. Cuncta sapienter, quoniam honestè. Perge, vt instituisti. Hominem tuì amantissimum de tuis rebus crebrò singillatìmque admone, & in assiduis occupationibus (quod facis) vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXIV. Vergianum.

VGOLINO COSTAE.

OMnia prudenter, ac verè, sed illud potissimum

— homines salus frustatur, & fortuna

Comicorum Princeps affirmauit. Exemplum

plum domi habeo. Iam cum Reuerendissimo Abbate de Sancto Petro Tauletum versus iter aggressurus audiui, te Vergati domesticis negotijs detineri. Illud in spem certam adduxit, fore, vt cùm illuc accessurri essemus, iucundos, ex more, sermones tecum agitarem: eaque spe adeò delectatus est animus, vt ibi totus inhærens, ad longæ, difficilisque viæ cogitationem se nihil omninò conuertisset. Sed illuc non tam mox perueni, quàm mox à Susanensium Parocho, qui te nudius tertius discessisse nunciauit, spei frustationem cognoui. Tunc amanter indignatus cum Lipsio exclamo. *O factum ab amico non amicum!* Costa, vt sequentem se fugiat, vincula etiam arctissima confringit! Quid si liber? Iouis, credo, curru (vt cum Poetis loquar) abijsset. Sed cur potius imprudentiam meam non accuso, qui propriam stultitiam mortalibus depromi non videam, nec sentiam, dum me velocissimè fugientem insector? Fuge quantum libet. Quid fuga profutura sit (ni spes iterum me deludat) intelliges. Quod enim sum-

mæ beneuolentiæ vis apud te non potuit, Reuerendissimi Abbatis auctoritas molietur. Is te videre, alloqui, consuetudine tua frui desiderat. Si eum esse profiteris, quem toties verbis non obscuris declarasti, nunc rebus comprobare haud negligas. Secus, ni dictis facta suppetant, te fluxa fide hominem prædicabo. Sed ne Pelæi Stomacho, Æacidinisque minis cum amico omnium amicissimo videar agere, te obsecro, mi Costa, vt constantiam ceteris in rebus, præterquam in fuga, tuearis; imò quàm longè abscessisti, propius accedas. Ego namque illud assecutus, si cùm aufugisti, amor quoque in me tuus aufugit, cùm redieris, hunc pariter, æqualiterque reuertisse, facilis credam. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA XXXXV. Ripas.

SEBASTIANO MAVRITIO I. C.

ECquid istud negotij est? Pluribus litteris à me prouocatus, nec etiam mussitas?

ſitas? Id grauiùs me angit, quòd, ſi ante hac occupationibus circumuentus, per vnius, vel alterius hebdomadæ ſpatium ad te ſcribendi intercapedinem facerem, ſtatim ſilentium meum accuſabis, affirmans, nihil acerbius tibi accidere potuiſſe, quàm ſi ad me ſcribendi, aut litteras meas legendi anſa detraheretur. Nunc ſemel, iterum, ſæpius ſcribenti ne vno quidem verbo reſpōdes. Sic me palpo percutis? Apagè ſacrarum amicitiæ legum violatorem. Apage muliebri fide virum. Quin potius manedum, & audi. Non ſum, qui ſum, niſi iſtud iniuriæ oppidò vlciſcar. Sed quò prouehor, quaſi carbones periculo meo irritaturus? Parce, non dicam, Cæſaro; is enim non ſcribit, ſed iracundiæ à beneuolentia, quæ ſtylum trahit, non ducit. At non abeſt conuicium. Ob id quidem parce, & patere, te verbis lædi ab eo, quem rebus grauiter laceſſiſti. Vale. Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA XXXXVI. Bononiam.

DOMINICO COMELLO I. C.

CVr non potius doles, quàm gaudeas, permultos viros (vt tu quidem asseris) eruditos litteras meas luce dignas iudicasse? Æquiuocum istud nemo vniuocum appellabit. Quod tu Phœbeam lucem intellexisti, ipsi fortasse Vulcanicam significarunt. Si isti Phœbeam, certè gaudij, sin Vulcanicam, doloris causam habes, nec exiguam. Quinimò dum rectè video, vtramuis inuenerint, est, vnde gaudeas. Si scriptis meis Phœbeæ lucis meritum assignant, in ijs maturitatem agnoscunt. Sin Vulcanicæ, illorum defæcationem desiderant. Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXXXVII. Bononiam.

ANNIBALI ZECHELLO.

HEu fata! Virum & nobilitate, & virtute præstantem lege viuere desijsse!

fuisse! Mihi de facie haud innotuit: sed eius famam omnibus conspicuam, præ omnibus suspiciebam, obseruabam. Hinc post tuas litteras propè lacrymis à me deletas, fortunæ mutationem obseruo, lubricum Aulæ culmen cognosco. At quis idem non cognoscat, si, qui in Principum delicijs fuit, in carnificis ludum, & ludibrium transijt? N. in communem locum transijt. Nos lugentes deseruit: non mortem, quia

—— omnes vna manet nox,

Et calcanda semel via lethi:

Sed genus mortis violentum, quod vulgus ignominiæ coniunctum existimat. Nos istud commune iudicium haud rectum nihil curemus. Illud magis pro solatio non vulgari, contra vulgi opinionem, mente recolamus, N. cùm ad vitæ metam infracto animo iret, illud claris vocibus non semel vsurpasse. Vitæ finem minùs acerbum sentio, quoniam

Post mortem, in morte nihil est, quod metuam mali.

Vale. Ex Villa.

EPISTOLA XXXXVIII. Bononiam.

LVCIO MAGIO.

SEbastianus Doctor tuus vulgatum illud optimè edoctus. *Nec etiam Herculés contra duos*, rectè tibi ad me litteras interdixit, cùm frater tuus Bonifacius scriberet. Vidit quippè vir prudentissimus, duplici onere non grauandum, qui simplex ægrè valeat sustinere. Propterea fuit onus in partes diuidendum, ne illius grauitate baiulantis vires opprimerentur. Illud vos perhumaniter fecistis, me successiuis litteris appellantes. Rem verò si ad veritatis calculum reuocemus, maiore sarcina mihi videor oneratus. Si frater enim, ferè alter nominatur, Bonifacius fratris exemplum æmulatus est, qui, cùm ille scripsit, à scriptione animo non cessauit. Et quia voluntas rebus ipsis non raro æquiparari consueuit, dum alter ex vobis ad me litteras mittit, bis vterque mittit: & ideò quatuor, non duobus officijs me simul deuincitis. Quid de tuo fratre sentiam, multis (licet

non

non satis) rescripsi. De te, Luci, illud pro certo habeas; amorem tuum animo meo adeò illucescere, vt fulgentissimis illius radijs multorum in me beneuolentiam non tam offundi, quàm maxima charitate adspergi confidam. Vt enim minora sidera à Phœbo lumen accipiunt; sic omnes mei amantes exemplo tuo prouocati, amorem in dies magis, magisque augebatur. Ex Villa.

EPISTOLA XXXXIX. Genuam.

BARTHOLOMAEO BELVEDERIO Societ. Iesu Presbytero.

QVæ, obsecro, merita apud te congessi, vt à nobis discessurus, domum me salutatum adires? Hinc duplex mihi angoris causa. Altera, quòd frequentibus humanitatis indicijs meum in te obsequium opprimis: altera, quòd viam quæcumque est, frustra confeceris. At satius fuit me domo abfuisse, quoniam abfui à rubore, qui faciem meam ex prima-

rijs Concionatoris ad me accessu opplevisset. Equidem amorem tuum desidero, seu veriùs ambio. Sed eòusque vellem attingeret, vt quisque intelligat, illum ex iudicio proficisci, non ex debito. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA L. Regium.

PHILIPPO HVMANO Regiensium Prætori.

INcolumen te Regium peruenisse, post honestissimam, & cum vniuersorum ciuium applausu Prætorij muneris subitionem, ista sede non parum delectari, incolarum mores ex genio tuo experiri, non minùs lætor, quàm tu, me lætaturum præsagieras, cùm de his rebus per litteras sigillatim admonendum iudicasti. A lætitia tamen abest admiratio: quoniam fortuna, licet persæpe in alios inhumana, Humanum humaniter habere debuit, præsertim illius meritorum viribus euicta. Cùm ipse te cognoscas, me ab assentatione alienum cogno-

gnosces. Etenim, si fortuna prudenti viro cedit, prudentiæ tuæ magnitudinem eam esse non ignoras, quæ Protei mores imitatata, varijs rerum humanarum casibus se facillimè accommodet, aduersosque à te magis, quàm te illis, frangi sentiat. Dexterrimæ huiusmodi vitæ rationi, cui quamquam multi æmulentur; nullus tamen eam æmulatur, summoperè gratulor. Tu meì amantes (si qui tamen ob meritorum meorum imbecillitatem sunt) æmulare, & vale. Bononiæ.

EPISTOLA LI.

CAMILLO ELEPHANTVTIO.

QVæ ad obiectas Taciti quæstiones respondisti, tacitè malo obseruare, quàm laudes meritis inæquales reponere. Tu vir nobilissimus litteras non profiteris, & tamen optimarum artium cognitione multos litteratos longè adeò post te relinquis, vt sola experientia fidem inueniat. Hæc scribo, vt in via, quam in-

gressus es, alacriter curras. De rebus enim politicis interrogatus, si argutè (vt fecisti), respondeas, cur homines te non mediocriter eruditum nominent, causam præbebis. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LII. Melitam.

ALOYSIO ALBRITIO Societ. Iesu Presbytero.

NEscio, celeberrime Albriti, vtrum Melitensium Ciuitas te proximo futuro anno Concionatorem, post viam non breuem, neque tutam, lætior exceperit, quàm nos de tuo illuc felicissimo aduentu audierimus. Illis valetudinis tuæ firmitudo ad tempus (quoniam ad tempus te vti debent) nobis perpetuò, qui opera tua perpetuò indigemus, exoptatur. Porrò apud illos fama, apud nos experientia, quæ nunquam fallit, & longè plus potest, tuì cultum exsuscitauit. Verùm de fama illic breui in experientiam conuertenda, non modò nobis, sed nec ceteris etiam Ita-

liæ

liæ vrbibus primarijs concesserint; cùm in tui obseruantiam, tua præstantissima dicendi arte, quasi Herculeis ad linguam catenulis, quoquò versus amantissimè attraxeris: adeò vt multo plus tuo discessu mœruerit, quàm eosdem lætitia perfuderit accessus. Tua oratio sacra in quadragenario stadio, cùm tempus aderit, inoffensa valetudine excurrat: vt qui te aliquandiù absente doluerunt, fortunatissimi reditus gaudio recreentur. Bononiæ.

EPISTOLA LIII.

IOANNI ANTONIO ROFFENO Philosopho, & Mathematico.

NIsi iam pridem humanitatem tuam experimento cognouissem, quid de commodis meis sentires, in dubitationem fortasse adducerem. Verùm, quia hanc ipsam nullis finibus septam contineri scio, propterea facilis mihi persuadeo, te ex animo gaudere, quòd Parochialis Ecclesiæ Rectoratu ciuium tuorum liberalitate sim

honestatus. Gaude: sed illud omninò crede, tuorum erga me meritorum magnitudinem eòusque attigisse, quo sors mea vel non parum aucta, nullo pacto potest adspirare. Quid si virium defectus optimæ voluntatis vbertate compensetur? Huic, obsecro, humanitatem tuam largiùs extensurus, acquiesce, meque in tui obsequium ex officio magis, quàm sententia paratum agnosce. Bononiæ.

EPISTOLA LIV. Forosempronium.

DOMINICO PASSIONEO I. C.

GAudium meum de nuptijs à te cum femina nobilitate primaria, forma egregia, ætate integra contractis, mandatorum executio explicabit. Vix litteris acceptis, frigionem conueni, qui tuì seruitio se paratum ostendit, in eoque ceteris rebus, quas debet conficere, prætermissis, assiduam, & fidelem operam pollicetur. Quapropter ad quindecim dies, sponsalium vestimentorum ornamenta accipies, spe-

spero. Spero, non promitto; quamuis ille rogatus, non dubiè promiserit. Nosti artificum mores, quibus verba singulis dare cibus est. Quicquid otij occupationes, & curæ mihi concesserint, in istius negotij cura me consumpturum crede, vt nihil de mea in te beneuolentia consumptum credas. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LV.

LVDOVICO MALVETIO.

PAulum Masium laudaui, non tam, vt eiusdem laudatoribus, qui acerrimo iudicio sunt, assentirer, quàm ne à veritate, cui omnia debentur, dissentirem. Nemo certè (quod tu etiam sæpius affirmasti) non laudasset virum, qui doctissimè, & elegantissimè dicit: & quamuis numquam fortuitò dicat; tamen ad dicendum semper est paratus. Qui, si dicendo vagatur, orationem potius ornatam reddit, quàm prolixam. Qui celeres motus animi habet ad inueniendum, explicandum, exornandum, me-

memoriæ mandandum accomodatos. Qui habet latera firma, canoram vocem, solutam linguam, spectabilem oris, & totius corporis conformationem. Qui ex sententia animos hominum docet, & delectat. Cùm nihil supra in oratore perfecto requiratur, Masij Cõcionatorum Principis merita non falsis encomijs me prosecutũ profiteor. Bononiæ.

EPISTOLA LVI. Bononiam.

HENRICO DE S. PETRO.

TE à longo, & difficili morbo conualuisse tantumdem gaudeo, atque animo angebar, tibi ista florenti ætate, corporis vires consenuisse. Gallum certè Æsculapio tuo gallo debemus, qui te ab intestina ægrotatione vindicatum nobis restituit. Nos, quod nostrum est, persoluemus. Tu, quod tuũ est, persolue: quod præter spem recuperasti, præter multorum fidem diligentissimè serua: salutem, dico, quæ ne omni quidem auro contrà, benè estimatur,

etiam

etiam, atque etiam cura; non ignarus, dum corpus tuum aduersa valetudine depascitur, animum meum acerbissimis curis agitari. Ex Villa Casalechij.

EPISTOLA LVII. Bononiam.

SEBASTIANO SANCTOLO I. C.

EGo amicitiæ leges non addò coarctandas censeo, vt, quod mihi pollicitus es, in aliam diem reijcere non liceat sine religione. Ob id parum ciuiliter (quod modestiæ ductu asseris) à te factum nego, cùm epistolam omnium oculis (quæ illius pulcritudo est) obijciendam, meis aliquandiù suspenderis. Quinimò dilatione illud egisti, vt videndi cupido spe non breui enutrita, animum meum non breuiter enutrisset. Moderata enim desideria hoc habent, vt potiendi spes non parum afferat delectationis: quæ tamdiù manet, quamdiù spes ipsa constans, atque integra perse-

seuerat. Multa in scriptoris laudem sentio, sed vnum instar omnium loquor, Smeraldi scripta smaragdis contrà, omnibus, qui sapiant, æstimanda, & tamen nihil omninò suspicienda: quippèquæ in Societatis Iesu, in Oceano scilicet gemmarum affluentissimo oriantur. Quòd epistolam miseris, te liberalem, quia fidem longè supra debitum præstitisti: quòd eidem ipsi tuam beneuolentię notis insignem adiungens, me non vulgaris gratiæ tibi habendę vinculo obstrinxeris, illiberalem nomino. Rescribo, sed raptim, quia alumno tuo rescribendi officium me rapit, seu veriùs dicam, opprimit. Quid enim fuit, cur nobilissimus adolescens me tam decora scriptione honestaret, nisi vt Pręceptoris exemplo prouocatus, non obscura erga me beneuolentiæ indicia præberet? Hìc sapientissimi viri dictum, de subditis erga Principem, de Auditoribus in Doctorem licet vsurpare. *Obsequium, & æmulandi amor, validior, quàm pœna ex legibus, & metus*. Nę res ipsa nomini aptissimè respondet. Bonifacij namq. est benefacere, cun-
ctos

ctos scilicet fouere, & amplecti. Tuum, Sebastiane amicissime, sit pręsentes litteras quasi nuncius ornare, & illi à me reddere. Vale. Ex Villa.


EPISTOLA LVIII. Bononiam.

BONIFACIO MAGIO.

QVi scriptiones meas typis committendas prędicant, aut publica luce dignas iudicantes, meì beneuolentia decipiuntur, aut eadem exoculati non vident, quàm arduum, quàm asperum sit seueram huiusce tempestatis criticam sustinere. Equidem labores meos non alia, quàm Vulcani luce decorandos dixerim. Sed, ne istam quidem aspiciant, Polypi instar auidissimus comprimam. Etenim quæ nullam alijs voluptatem afferrent, mihi non paruam exhibebunt: quoniam sua cuique cara. Quid igitur de meis scriptis futurum sit, mihi potius illorum actori, quàm alijs, de rebus, quę nihil ad

se

ſe pertinent, arbitratu ſuo deblaterantibus crede. Iſta niſi in poſteriùm faſtidiens, torvis oculis aſpiciam, nemo à me ne harpagonibus quidem extorquebit. Pro tuo in me amore, vnde multum laudationis manat, non meritis meis extorto, ſed voluntario gratias ago, & habeo maximas. Vtinã nobiles omnes, ac virtute pręditi ęquales tibi ęqualiter me ament! Illud ſi aſſequar, non exiguum quęſtum apud patricios Bononienſes me feciſſe arbitrabor. Vale, adoleſcens nobiliſsime, in optimarum artium ſtadio (quod facis) alacriter curre, patrique tuo non vno virtutum genere conſpicuo à me honoris cauſa ſalutem nuncia. Ex Villa.



EPI-

EPISTOLA LIX. Venetias.

CYRO DE PERSO.

IVdicium tuum, Cyre humanissime, non semel expertus, tanti facio, vt plus fidei tibi vni, quàm multis alijs simul adhibeam. Sed vbi epistolas meas magnoperè laudas, patere, vt istam laudationem tuo in me amori, non meis meritis adscribam. Homini enim alienas virtutes beneuolentiæ specillis contemplanti, vero grandiores obijciuntur. Itaquè, amorem si ponas, quę in me sunt, minima videbis. Attamen, vt verum nihil diffitear, dum me ad latinam scriptionē hortaris, quosdam quasi igniculos animo admoues, quibus non parum calefactus, fortasse maturi aliquid proferat. Illud si contigerit, nihil laudis meis fœtibus adscribetur, quod tibi æquè, ac illorum parenti acceptum non referam. Bononiæ.

EPISTOLA LX. Bononiam.

ANTONIO MANZONIO
Doctori Theologo Bonon.
Collegiato.

DVplex gratulandi officium, & quòd Theologorum numero, & quòd pręstãtissimo eorumdem Collegio adscriptus sis, vnica scriptione persoluam. Neque parcitatis arguendus iudicabor, dum vineas illas æmulari negligo, quarum fructus assiduis imbribus madefactus in pampinos facillimè degenerat. Rerum magis, quàm verborum feracitatem affecto. Verba voluntatis indicia sunt, nec rarò fucata: res non dubium cordis experimentum. In præsenti epistola animum meum, ob præmium tuis meritis retributum, nuda lætitia gestientem lege, vtquè iteratis in dies occasionibus legas, vale. Ex Villa.

EPI-

EPISTOLA LXI. Parmam.

OCTAVIANO LEONARDO I. C. Serenissimi Parmensium Ducis Auditori.

SI quid tua causa effeci, non huiusmodi fuit, vt vllam gratiarum actionem requirat. Quapropter illas reijcio, ne maiorem, quàm par est, suscepit laboris mercedem, quasi fœnerator videar recepisse. Libens iniunctum laborem sustinui, quia debui. Si tu, quod merum officium fuit, sententiam iudicas, ego mearum partium non ignarus à sententia tua me abduco. A gratiarum igitur actione cessa, & virium mearum tenuitatem (quod gratius acciderit) excusa. Bononiæ.



EPISTOLA LXII.

CORNELIO PEPPVLO COMITI.

QVantum mihi arrogem, Illustrissime Comes, vide, & ignosce. Cùm ante hac nunquam te præsens, hunc per litteras alloqui non dubito. Vide, inquam. At cur ignoscas? Hinc meam erga te obseruantiam potius agnosce. Tuorum enim clientum numero censendi cupidissimus, cùm, ne illud præsens rogarim, rubor à meritorum meorum defectu me non parum deterreret; nunc ad litteras, quæ deprecatoris officium præstent, confugio. Huiusmodi cupiditatem iam diu fouent, quæ in te video, naturæ, animi, fortunæ bona, singula quidem eximia ratione congesta, adeò vt animus in tuì opulentiam longè plura, & maiora contulerit. Istis dotibus liberalitatem addas, me clientem tuum (perpetuò namque addictus ero) appellare ne respuas. Bononiæ.

EPISTOLA LXIII.

FABRITIO INGENIERIO.

MIhi nudius quartus è mensa exilienti, Cęsar fratris tui filius salutationis causa aduenisse nunciatur. Tunc ad fores progredior. Salutatione amanter reddita, de te percontor. Audio, podagram vires suas duriùs in dies exercere. O tyrannidem, exclamo, Phalaridica sęuiorem, quæ diuturna tormentorum exercitatione haud expletur! simulque in Poetas iratissimus inuehor, qui, vt tempus omnia consummere demonstrent, Saturnum saxum pannis inuolutum pro filio appositum deuorasse fabulantur. Etenim podagram non vorat, quæ fortasse cum saxi duritie contendens, longissimè superat, dum saxorum deuoratoris viribus resistit. Quàm verè hæc de se ipsa, apud dialogorum scriptorem lepidissimum:

— norit vnusquisque me solam omnium
Illacrymabilem, & immedicabilem Deā.

Vicem tuam (quod amicissimi hominis officium monet) doleo: sed tamen tolerantiam, quæ omnia vel durissima frangere consueuit, tibi suadeo. Cum sanctissimo viro ad Deum conuersus, illud vsurpa. *Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.* Ab eo mentem sanam cum sano corpore tibi opto, & me ames, rogo. Bononiæ.

EPISTOLA LXIV.

MATTHAEO VVLPARAE.

TVæ in me optimæ voluntatis indicia rebus ipsis adeò patuerunt, vt nimis morosus sim, si litterarum testimonia requiram. Itaque Parochiali Ecclesia fidei meæ commissa te gaudere tàm certo scio, quàm certissimè illud in primis optare, vt quicquid communibus omnium suffragijs sum adeptus, in communem omnium salutem (hoc enim in primis specto) vertatur. Et quoniam secundo loco amicorum vtilitas succedit, effice, vt credas, cum mei commodi auctione vires pariter mihi auctas,

ctas, quibus opera mea rebus omnibus tibi parata haud inutilis appareat. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXV. Vergianum.

VGOLINO COSTAE.

VErenti mihi, ne litteræ, quas cum epitaphijs in Concinum ad te miſeram, ferentis negligentia perijſſent, tuæ aliquando tandem redditæ ſunt, quæ mihi omnem ſcrupulum exemerunt. Vt rectè illis reſcribam, te alterum Vlyſſem debeo nominare: honoris enim ſpecie quinque eiuſdem argumenti epitaphia remittere voluiſti, vt ſcilicet deterrima meorum cum illis comparatione ingenij mei imbecillitatem patefaceres. Sed, ne quicquid temporis, hiſce diebus, peccatorum excidio debetur, eorum extructioni videar aſſignare (quod facilè eueniret, ſi te iſto nomine, quaſi vindictæ conſilio nuncuparem, qui me hominem artibus inſtructum appellaſti) virum potius gratum, quippè qui paria amicis

reddere consueueris, appellabo. Paria reddidisti numero, qualitate autem longè superiora. Ista ruri nata (quod asseris) fateor; adeò tamen, vt lepidissimè scripta, vrbe digna nihil diffitear. Vale. Bononię.

EPISTOLA LXVI. Forosempronium.

PAVLO ACTIO I. C.

MIhi, vt litteras ad te darem, parato, illud occurrit.

Qui homo culpam admisit in se, nullus est tam parui pretij,
Quin pudeat, quin purget se se.

Culpam admisi, quando obtrectationibus Concinum vexaui. Nunc pudet: quia in mortuos sæuire impium. Purgo, cùm ea in re non vnius exemplum mihi proposuerim, qui eum contumeliosis scriptis agitarunt. Verùm non satis, si me pudeat, ac purgem. Quoniam de illius fama non parum detraxi, vt palinodiam (quod aiunt) canam, religio postulat. Illud in primis aueo, vt quorum exéplum æmulatus sum,

par

par pari reponentes, mea vestigia sequantur, maledicta benedictis compensent. Quod aliorum est, ipsi viderint: quod nostrum, nos diligentissime curemus. Id satis curatum arbitrabor, si totidem pro Cōcino epitaphia scribam, singulisque amicis per litteras mittam: vt quem contumelijs iam petitum acceperunt, nunc laudibus affectum accipiant. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXVII.

HYACINTO LODIO
Philosopho, & Medico in Bonon. Archigymnasio Logicæ Professori.

LVctus causam superioribus diebus tibi obiectam, non peculiarem, sed cōmunem agnoscas. Si tu patrem, quoniam illinc ortum, nos amicum, vnde vberrimum amicitiæ fructum, patria vniuersa ciuem optimum, quoniam ex eo laudem hausit non mediocrem, lugendum existimat. Ad te igitur scribo, non tam vt dolorem tuum, solatio afferendo, abstergam, quàm meum,

referando, imminuam? Verùm, si, quemadmodum simul dolemus, ita perpetuò dolendum iudicamus; philosophiæ præceptis imbuti, à Philosophis, qui mortuos haud lugendos monent, longissimè distamus. Quare, ne philosophiam aspernemur, damnum, quod commune est, in commune solatium vertamus. Et si morbus animi durus adeò sit, vt mitiora huiusmodi medicamenta excludat, acuto patientiæ gladio recidatur. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXVIII. Romam.

IACOBO DE S. PETRO.

PLauti locum à te in quæstionem adductum adeò difficilem video, vt cuique vel erudito, non parum negotij exhiberet. Ecquis ingenij acumine percipiat, crucem reo futuram sepulcrum? & tamen in milite glorioso Act. II. Sc. IV. Sceledrus Philocomasio sibi mortem minitanti audacissimè respondet.

Noli

Noli minitari; scio crucem mihi futuram sepulcrum.

Istius difficultatis enodatio ex veteri crucifigendi consuetudine, qua gentes vtebantur, omninò pendet. Veluti enim istæ, vt in ceteris rebus, sic etiam in ea differrent à Iudæis, reos cruci affixos non eadem die deponentes, funerabant, sed, vt grauiore supplicio afficerent, vsque ad cineres deserebant: ità vt idem locus sepulcrum haud negaret, cui acerbissimam necem intulisset. Dissimilem Hebræorum, ac Gentium vltima crucis pœna afficiendi morem declarat Antonius Gallonius in libello De cruciatibus Martyrum cap. primo. Quodquè ad Gentes facit, luculenti Auctoris testimonio probat, nempè Valer. Max. lib. I. cap. II. externorum III. atque alibi. Vale. Bononiæ.



EPISTOLA LXIX. Romam.

HERCVLI BONFIOLO Bonon. Senat. & Equiti S. Stephani.

SIngularis in me beneuolentia, à tua, vir Illuſtriſſime, ſingulari liberalitate, nõ à meis, quæ nulla ſunt, meritis ſcaturiens, illud animo meo ingerit, vt omni loco, & tempore, quicquid felicitatis eſt, tibi optẽ, & precer. Præſertim verò hiſce ſacratiſſimis diebus, quibus patroni iſtud officij à ſuis clientibus, inueterata iam conſuetudine, quaſi lege ſcripta, ſibi vedicarunt. Tu idipſum à me tãtum ſupra ceteros tibi vendicaſti, quantum infra ceteros, etiam meritiſſimos, de te ſentis, & iudicas. Iſtud addictiſſimi obſequij teſtimonium, quod optima voluntas nutrit, hilari vultu excipias. Licet enim in præſens verbis tantum conſtet, in poſterum, ſi cum viribus occaſio detur, res etiam non mediocres, ad maiorem tui cultum, & obſeruantiam emittere non recuſabit. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXX. Romam.

ALEXANDRO SCAPIO Campaniæ, & Satriani Episcopo creato.

CVm soleant, ex Manutij sententia, quæ minùs expectantur, accidere lętiora, nescio, quo pacto lætissima acciderit tua ad Episcopatum accersio mihi vehementer expectanti. Illud fortasse fuit in causa, quòd fidem ex meritorum tuorum auditu apud omnes conceptam, euentus non dubiè comprobauit. Tibi igitur maximè gratulor, quod Campaniæ, ac Satriani Episcopus nominatus campum obtinueris, vbi virtutes tuæ te virum, & doctrina, & rerum vsu præstantissimum sublimiùs extollere certatim contendant. Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA LXXI.

BERNARDINO BENSIGNATO Doctori Thelogo Bonon. Collegiato.

ECclesiæ Rectoratum meritis meis ne dicas retributum, sed Bononiensium, quorũ iuris patronatus est, liberalitate mihi donatum. Ij, vt istam virtutem largiùs extenderent, ex multis illum ambientibus, mihi minùs ambienti, minùs merenti detulerunt. Ego quāuis de re potius, quàm de curæ animarum susceptione cogitaui, veritus, vt multarum oneri suppeteret, quē meę dumtaxat pōdus grauissimè premeret. Quia tamen iniquum fuisset vocationi reclamare, vineę parti, ad quam accitus sum, culturam pro viribus, fidelem præstabo; ea spe fretus, fore vt qui talem voluntatem gratis ingessit, facultatem etiam æquabilem præstet. Interea gratulationem, quam mihi humanissimè exhibuisti, pergratam accidisse, meque contrà, omnia tibi felicissima precari certo scias, & valeas. Bonon.

EPI-

EPISTOLA LXXII.

VINCENTIO MONTECALVO in Bonon. Archigymn. Philosoph. Professori Ordinario.

CAnonicatus curati honor, quo nuperrimè sum affectus, eo gratior contigit, quòd mihi aditum ad amicitiam tuam reserauit. Hanc tuarum virtutum fama incensus, diù vehementissimè optaui, nunc tandem aliquando adeptam pluris æstimo. Etenim, quæ magna sunt, magnum laborem æquali temporis spatio coniunctum ad suì adeptionem requirunt. Æquitas certè hoc requirit, vt, quem liberaliter amicum excepisti, eiusdem opera, quibuscumque rebus opus fuerit, liberè vtaris. Illud facies, non despero, si scias, me nihil grauiùs dolere, quàm in amicorum negotijs, eorundem modestiæ culpa, otiari. Quare huiusmodi otium mihi quàm maximè infensum (vt occasio aderit) abducas: quò initæ inter nos amicitiæ tesseram perpetuò

petuò comprobatã intelligas. Vale. Bonon.

EPISTOLA LXXIII. Romam.

IVLIO MONTERENTIO Fauentiæ Episc. creato.

COgitanti mihi hoc tempore ad te scribere, non satis constabat; vtrum tibi, an potius Fauentinis ciuibus gratularer, quòd summa Summi Pont. prudentia te illis Episcopum præfecisset. Verùm, si dignitatem respiciam, gratulationis officium tibi debeo; onus enim es subiturus Angelicis humeris non indignũ. Sin vtilitatẽ specto, Fauentinis persoluo, qui virum in suarum animarum custodiam, tãquam ex veterum annalium memoria delapsum experimento iudicabunt. Attamen vtrisq. gratulor. Tibi, qui in isto Prçsulatu purpurato Principi succedis, in purpura etiam maturè successurus: illis, qui Pastorem accepturi sunt virum Vrbis regimine (vt cetera munia omittam) per multos annos laudatissimè perfunctum. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXXIV. Romam.

LVDOVICO LVDOVISIO S. D. N. vtriusque Signat. Referendario, Abbati, & AEdis Maioris Bonon. Archipresbytero.

ILlustrissimi Cardinalis patrui tui cunctis spectatę erga me benignitati ingratus apparebo, nisi apud te quoque clientelam meam fatear, & profitear. Sed, cùm plurimum debeatur patronis, qui ingenitæ liberalitatis ductu, amorem, ac studium suum clientibus se debere arbitrantur, ego verò nihil habeam, quod meritorum tuorum æquet magnitudinem, humillimæ voluntatis propensionem hisce litteris cultu, atque obseruantia refertis tibi offero, & sisto. Pro huiusmodi rei indicio non obscuro, iam proximos Dominicæ Natiuitatis dies cuiuslibet optatæ felicitatis compotes tibi desidero, & precor. Tu istud officium nihil certè simulatum libens excipias, quod licet nudæ voluntatis imagi-

nem gerat; hæc tamen non semper rebus vacua apparebit: & si virium defectu appareat, meritas quidem laudes non amiserit. Velle enim à nobis est, posse autem à fato. Bononiæ.

EPISTOLA LXXV. Romam.

PHILIPPO DE S. PETRO.

DE parochiali Ecclesia mihi à Ciuibus tuis adiuncta te gratulari audio, nec miror; cùm nihil vnquam impensiori curæ tibi fuerit, quàm vt felix honoris, commodique mei progressus nullo rei aduersantis repagulo intercluderetur. Quid, obsecro, huiusmodi voluntati reponendum? Gratiarum actio non satis est, cùm tuæ in me voluntatis propensio eò pertingat, vt velocissimam, aptissimamque verborum congeriem post se longissimè relinquat. Tantumdem optimi animi reponatur? Id certè fuerit. Tu iterum meæ erga te obseruantiæ amorem repone, vtque largiùs reponas, vale. Bononiæ.

EPI-

EPISTOLA LXXVI.

NEAPOLIONI MALVASIAE Comiti.

LIceat mihi cum Persiano exordio Epistolam exordiri.

O curas hominum! ò quantum est in rebus inane!

Dum verebar, ne litteræ ab Actio ad Carneualium, qui in Germaniam magnis itineribus properabat, in via perirent, istum in fluuio, dum naui veheretur, cum famulis perijsse intellexi. Tum ferè extra intellectum exclamo. O execrandam aquarum voracitatem, quæ, quicquid spei patria de sua laude, ac dignitate nutriebat, vnà cum Carneualio auidissimè vorasti! Iste nuncius si aures tuas iam pridem verberauit, tu pectus tibi verbera: viri optimis artibus instructi casum miserabilem deplora. Sin à me primo audis, ob id magis deplora: quòd longè post alios pium lacrymarum officium amico persoluas. Ne-

O que

que audias, qui mortuos lugendos negant, quoniam rem actam agimus. Hac enim potissimum de causa lugendi videtur, quoniam res acta est. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXVII. Taurinum.

ALEXANDRO FRATRI
Illustrissimi Apost. Sedis apud Serenis. Allobrogum Ducem Nuncij à secretis.

QVi propriæ saluti, fortunæque pollicitis nimiùm fidit, Carneualij ciuis nostri fortunæ exitum respiciat. Huic, quòd Apostolicæ Sedis apud Germanos Nuncio, Regique Romanorum Ferdinando, ob nobilitatem, prudentiam carissimus foret, opes atque dignitates obiecit. Sed cognito, se potiùs, quod debuerat, persoluere, quàm quidquam liberalitatis impulsu donare, verita, ne suì fama præstantissimi viri meritis opprimeretur, hunc infidissima oppressit. Re namque de

Impe-


Imperatoris electione cum Summo Pontif. pro Ferdinando felicissimè transacta, Grę-cium Styriorum rediens, vt Mercurij velocitatem non minus, quàm eloquentiam æmuletur, alas pedibus adnectit: fluuialium aquarum impetu, vnà cum famulis obruitur: nullius auxilij (heù fata!) compos mergitur. Carneualium igitur lugeamus, non vt ciuem optimum, quasi amissum deploremus; is namque fluctuosa vndarum agitatione in vadum salutis appulit, vbi nullam post hac sæui Aquilonis tempestatem pertimescet: sed vt infelicē communis patrię fortē lacrymemur, cuius spes, dum magis florescere videntur, aduersantis fortunæ ventis arescunt. Dum verò de re acta lacrymamur, ne lacrymæ omninò inutiles sint, per illarum aquas illuc nauigium compellamus, vbi nihil à fortuna, & salute hominum expectemus. Vale. Bononiæ.



EPISTOLA LXXVIII. Cæsas.

PROSPERO PRAESSIO.

SI in ijs rebus, quæ penes me sunt, diem mihi præscripseris, non frustabor desiderium tuum. Sin contrà in ijs, quæ ab aliorum voluntate pendent; illud scias velim, me hic primariorum ciuium beneuolentiam nō adeò promeritum, vt istam amicis exploratè debeam polliceri. Omninò, vt tui voti compos fias, omnem lapidem mouebo. Sed qui rogandus est, ruri, vrbani æstus iniuria detinetur. Statim vt redierit, à precibus non abstinebo, gratiamque non minùs impetranti, quàm accipienti (quæ tamen vtrumque perpetuò deuincat) gratam fore, clarissimè aperiam. Vale. Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA LXXIX. Durantem.

DVRANTI MINIO I. C.

ETsi non præter ſpem accidit, vt virtus tua Illuſtriſſimo Bonon. Senatui foret perſpicienda; tamen non parum lætor, plus tibi tua merita, quàm alijs aliorum gratiam contuliſſe: cùm ex triginta competitoribus, tu primus inter quinque nullam repulſam ſuſtinuiſſes. Quare dignitatem tuam non modò ſeruaſti, ſed etiam ſublimè adeò extuliſti, vt ex Bonon. Auditorum Rota fulgentiorem in dies ſplendorem acceptura, inuidentium in acie, oculorum aciem perſtrinxerit. Bononiæ.

EPISTOLA LXXX.


HERCVLI BENTIVOLO Comiti.

TVum in humanioribus litteris ſtudium ſemper laudaui, nunc verò

maximè. Adeò enim te insudare intelligo, vt apertissimè demonstres, non solùm delectationis, verùm etiam vtilitatis causa illuc animum appulisse. Equidem tibi gratulor, quoniam virtuti iam proximum video. Cùm enim alij sudoris, qui ante virtutem est, timore deterriti, ab ipsa virtute repellantur; tu, qui sudorem forti animo attigisti, virtutem quasi attigisse iudicaris. Macte, adolescens nobilissime. Sudor laborem diluet, vt inter opes, ac delicias enutritus, socordiæ causas (quod in plerisque accidit) prætexas. Macte, inquam Satyricum illud in te non retorquebit animus conscius:

—— sonat vitium percussa; malignè
Respondet viridi non cocta fidelia limo.

Vale. Ex Villa.



EPI-

EPISTOLA LXXXI. Viennam.

MATTHAEO ROSSIO
Illustrissimi pro Serenissimo Magno Duce Etruriæ apud Imperatorem Ferdinandum Legati à secretis.

MVlti multa, & ea quidem summa, de te summo viro cum omnium fide loquuntur, & prædicant. Suprà omnes Hieronymus Prætus mei studiosissimus; qui licet proprij genij ductu poeticam exerceat; in tuis tamen laudibus historicam profitetur. Is meo tecum amicitiam contrahendi desiderio cognito, vt ad eam per litteras mihi aditum aperirem, sæpe suasor fuit, nouissimè tuam humanitatem clariore sermone testificatus suasit. Ecquis, obsecro, huiusmodi internuncio, modestiæ nuncium non remittat? Ecquis, dico, in amicitiam tuam intrandi cupidus, tali duce, audaciam sibi comitem non adiungat? Nihil prorsus timendum ea in re, quæ nobis honorem, ac dignitatem sit allatura.

Quo circa tantum abest, vt timeam, quòd potiùs audacter faciam, qui virum plurimis, maximisque negotijs, præsertim in istis Imperij turbis, occupatum scriptione mea occupare non dubitem. Tu effice, vt inter amicos tuos infimum saltem subsellium occupem. Illud certè non respuam: quia vbi gradu ero nouissimus, optati seruitij ordine fiam primus. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXII. Mantuam.

ALEXANDRO SENESIO Comiti.

QVod tua modestia apud nos silentio clausit, fama rerum omnium propalatrix reserauit. Te nempè à Serenissimo Mantuanorum Duce Comitem, cum ingenti Curiæ applausu, declaratum. Istum honorem profectò non vulgarem nemo hic non lætis auribus excepit; & eo magis, quòd eum non cæca fortunæ liberalitas tibi donauit, sed oculatum Principis iudicium tuis optimis artibus retribuit.

In

In istis litteris animum meum, quicquid lætitiæ accepit, nunc promere gestientem agnoscas: & quoniam meritorum tuorum magnitudo eò vsque in dies crescit, vt, qui auctoritate, & sapientia ceteris præstant, apud se plurimi esse rebus magis, quàm verbis fateantur, meum quoque in te cultum crescere tibi persuadeas, diuque gratissimo Principi gratiosissimus viuas. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXIII.

DOMINICO MARIAE LAMAE.

VTrum rectè iudices, qui iudicium meum tanti facis, quantum ego non optare, nedum mereri scio, non satis ausim affirmare. Si dicam rectè, ipse me cum dedecore videar laudare: sin secus, te non parum offendere. Quapropter, vt absit tui offensio, meique laudatio, hoc ceteris iudicandum relinquo, tibique interim, quòd de me tam sublimè sentias, maximas gratias ago. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXIV.

SEBASTIANO SANCTOLO I. C.

QVamquam superioribus litteris amicitiæ leges haud coarctandas, dixerim; tamen non adeò extendendas significaui, vt quæ amici sunt, sine graui culpa asperneris.

Est modus in rebus; sunt certi denique fines,
Quos vltra, citraquè nequit consistere rectum.

Quorsum hæc? Lucius cum Bonifacio me amantissimis litteris adeò decertat appellare, vt ætate inferior, animo superiorem præseferre contendat. Fit pugna in Cæsario tibi amicissimo: fit à tuis alumnis, quos ictu oculi cohiberes; & tamen rem ipsam cum meo periculo somniculosus negligis. Ne ad vltionem promptus appaream, te lingua factiosum, opera inertem non appello. Illud rogo, vt Stratiplocem Plau-

Plautinum perconteris, quisnam verè amicus sit. Responsum accipies.

Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur suis;

Is est amicus, qui in re dubia opera iuuat, vbi re est opus.

Adolescentes igitur, aut à meì amore desistant, aut reconcilientur. Nolo, vt meì amor fraterno odio fomentum exhibeat. Tu præceptoris in illos, in me amici munus executurus, inter se diffidentes reconcilia. Qui magis suprà merita me amat, vt non nihil remittat, impera. Sic ille se fratre maiorem diffitebitur, ego beneficiorum sarcina minùs grauabor. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXV. Bononiam.

PAVLO MACCIO
Humanioris litteraturæ
Professori.

Mihi fœcundissimos ingenij tui partus laudanti, amplissimam mercedem propositam sentio, nempè vt sapienti-

tissimis viris, qui eosdem maximè probant, dicar assentire. Laudes igitur, quas meritis tuis defero, ne reijcias; vt istud quicquid præmij est, mihi ne auferas. Laudo, non vt tua virtus laudata crescat (hęc enim summum fastigium attigit) verum, vt quæ eiusdem apud alios imitatrix est, cùm tuam laudari intelliget, incrementum accipiat. Istud si contingat, conditio mea eadem fuerit, ac pictoris ingeniosissimi; cuius imagines non mediocri artificio confictæ, cùm ceteris exemplar exhibeant, post proprij pennicilli meritum, non exiguam laudem à singulis suì imitatoribus assequuntur. Vale. Ex Villa Casalechij.

EPISTOLA LXXXVI.

PAVLO LAZARIO in Bonon. Archigymn. Philosophiæ Professori Ordinario.

QVod mea causa etiam irrogatus fecisti, illud effecit, vt amicitiæ tuę opportunitatem experirer. Quamobrem

brem à veritate non absim, si negem, me studium, & operam tuam non satis posse amare, non satis posse laudare, licet nihil magis amem, nihil magis laudem. Quàm meritò qui te norunt, Lazari humanissime, sapientem appellant! Tantum enim sapis, quantum amicos impellat, vt angustijs circumuenti à te facillimè subleuari sentiant. Illud ego, infra ceteros apud te meritus, suprà ceteros, in re maximi pōderis, sentio. Quicquid tibi debeo, alacris fateor, nec loquor. Quis enim vel fœcundissimus sermo tanto par sit beneficio? Hinc, nisi illius compensationem, quàm vires nō assequuntur; animi gratitudinem, quæ beneficij memoriam perpetuò seruet, agnosce, & vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXVII. Fauentiam.


BLASIO CONSTANTIO
I. C.

FOrtunæ, an meritorum fauore, Fauentinorum Gubernatoris Auditorem

te, Constanti humanissime, accitum dicam, nescio. Si meritorum dixero, animum tuum fortasse lædam, à laudibus etiam meritis alienum. Si fortunæ, vix vnus credat, Deam vbiquè inconstantem Cõstantio prętermorem adfuisse. Patere, vt meritorum potius dicam: quoniam ita est, & omnes credent. Cùm enim multos coæuos tuos sapientia antecellas, quid mirum, si fortunæ vires antecellis?

Sapiens fingit fortunam sibi.

Tuæ igitur sapientię gratulor, quæ tibi non mediocres contra fortunæ impetum honores afferat, summos etiam, cum summa tuì laude, progressu temporis, allaturæ. Vale. Bononiæ.



EPI-

EPISTOLA LXXXVIII.

HIERONYMO ONVPHRIO Ord. S. Mariæ Gratiarum in Bonon. Archigymnasio Theol. Professori Collegiato, & pro Reuerendiss. Inquisitore librorum Censori.

EPistolarum mearum Centurias, quæ in medium proditurę sunt, acuto admodum R. P. Homoboni Illustrissimi, ac Reuerendissimi Cardinalis, & Archiepiscopi Censoris iudicio submisi; non quòd in illis aliquid Religioni, aut optimis moribus repugnet, sed vt Ecclesiæ præceptis subiaceam, illis semper obtemperandi cupidus, & paratus. Easdem ad te mitto, rogans, non vt approbes (enimuero spe nitor à probatissimo viro non reprobandas, quæ oculatam Homoboni censuram sustinuerunt) verum, vt quàm celerrimè per tuas occupationes licebit perlegas. Indulge festinationi. Hæc non à me, sed ab amicis, qui labores meos publica luce illustra-

tes

tos accipere desiderant, & præsertim à Hieronymo Tamburinò bibliopola, qui ære proprio Typis comittendos suscepit. Libens ad te scribo, ne quam occasione in amicitiam tuam intrandi diutissimè optaui, nunc oblatam videar omisisse. Quod amicitiam dixi, veriùs patrocinium appellassem apud virum, quem sacrarum litterarum in Bononien. Archigymnasio professorem nemo non plurimi facit, nemo non eximiè colit. Sed noui modestiam tuam illud nominis respuentem. A modestia non aberit liberalitas, quæ me humaniter excipiat. Tu humanarum, diuinarumque rerum peritissimus illud ne ignores, me nihil impensiùs, quàm à te mãdatorum frequentiam optare. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXIX.

IOANNI CAPPONIO Philosopho, & Medico.

CIuis meus optimis litteris egregiè instructus, nouissimè ad me scripsit,

non-

nonnullas Academicas sermocinationes tuas legisse ad politicam adeò accommodatas, vt sibi cum Tacito tacitè loqui videretur. In ijs multa laudauit, vt à summo ingenio, summoque iudicio. Singulas laudes breuitatis studiosus non recenseo. Satis fuerit, si dixero, te Hippocratis Politici nomen assecutum. Vt Hippocratem audio, sermocinationes à te esse intelligo, non ignarus, diebus præteritis, in lucem prodijsse libellum, opera, & labore tuo, ex Hippocratis Aphorismorum adytis metaphoricè erutum. Lætor, opusculum patriæ meæ oras non indignatum; sed magis lætor, ciues meos laudes tibi debitas nullatenus subterfugere. Qui te Hippocratem politicum nominat, multum sapit. Vt enim Hippocrates prauis corporis affectionibus, sic tu morbis animi, qui altissimè latent, reseratis, opportunam admoues medicinam. Quid si Vrbiũ, rerumque publicarum conseruatorem nuncupasset? Nihil supra merita dixisset. Tuis namque prudentissimis scriptis Principum, & aliorum, qui præsunt, animos ad rectam gubernandi regu-

lam informas. Hæc dicta sint, non ad tuì laudem (cùm satis laudatum cēseam, quem propriæ paginæ cunctis probatæ magnoperè commendant) sed vt cetera, quæ ad hanc materiam scripsisti, in publicam politicorum vtilitatem, & amicorum lætitiam proferas. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXX.

LVDOVICO VRSIO Comiti,

ORationem de Magnitudine animi in celeberrima Gelatorum Academia à te publicè habitam ij laudent, quorum in dicendo facundia laudatur. Mihi hoc vnum liceat, eam humili silentio venerari. Ecquis verò non laudet, si Academici omnes, ceteri ex litteratorum Senatu, purpurati Patres, qui auribus, animisque adfuerunt, ab illius laude non desistunt? Imò ea de causa laudādo me imparem agnosco: vnius enim pedanei linguam indignata respueret, quam tot sublimium virorum sermo

ex-

expetiuit. Tibi potius gratulor, quòd togatos doctrina, & eloquentia antecellas. Quo circa non temerè Ferdinandus Mantuanorum Dux Serenifs. te olim in Alexandri Senesij Comitatu successorem nominauit. Vidit, vt potè oculatissimus, Principem eò impensiùs suæ laudi fauere, quo impensiùs virtuti fauet. Hæc scribo, vt me gaudere ostendam, tot, tantasque laudes ingenio, ac iudicio tuo contigisse, quas nulla vnquam obliuio sit deletura. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXI.

THOMAE DEMPSTERO I. C.
Humaniorum litterarum in Bonon.
Archigymnasio Professori
Primario.

LOngissimè quidem errant, qui virtutem nostrorum temporum iniuria nudam iacere cõqueruntur. Quæ vera virtus est, neque habet pro re nitorem, & gloriam pro copia, tantum abest, vt iaceat, aut indigeat, quòd sublimis, omnium oculis

conſpicua exultat. Exemplum qui non longè expetit, te expetat, præſtantiſſime Dempſtere. Virtus enim tua non fuco, aut fallacijs illita, nunquam iacuiſſe prædicabitur, cùm ab Illuſtriſſimo Bonon. Senatu ad primariam pulcriorum litterarum cathedram elata ſit. Quapropter Senatui, tibique gratulor; mihi non parum gaudeo. Illi, vt potè cuius qualitate magis, quàm numero auguſtiſſimi prudentia in dies clarior elluceſcat, optima præſtantiſſimorum virorum, qui in celeberrimo Archigymnaſio ſuo diſciplinas profiteantur, electione. Tibi cathedram aſſecuto, vbi ſedens, quęnam ex muſis apud te per litterarum ſtadium curſuram feliciorem exerceat, iudibis. Mihi, quem de rebus litterarijs colloquio (quæ tua eſt humanitas) impertire non recuſabis. Bononię.



EPI-

EPIST. LXXXXII. Forosempronium.

CAESARI INGENIERIO I. C.

NVncius de ventorum impetu tibi per litteras allatus, licet tua fide, vero tamen maior non fuit. Mantuæ arbores radicitus euellit, ędes tegulis spoliauit, parietes, turres à culmine euertit; ita vt nisi Virgilius diem suum obijsset, quòd olim de Troia, nũc de patria mœstissimus cecinisset:

Neptunus muros, magnoquè emota tridenti
Fundamenta quatit, totamquè à sedibus vrbem
Eruit.

Istam ventorum grassationem, licet vario quodam modo; tamen satis, superque sensit ager Bononiensis, qui non exigua messis parte spoliatus, annonam hoc anno carissimam fore declarauit. Tu feliciores de communi patria nuncios rescribe, & vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXIII.

IOANNI MAGIO Illustriss. Bononien. Senat. à secretis.

MVltas occasiones tibi oblatas noui, quæ prudentiam, ac fortitudinem tuam adytis animi occlusam reserarunt. At vnde oblatas? Ab eo, qui, sicut liberalissimus bona omnia omnibus obijcit; sic te non minùs virtutum ciuilium, ac moralium ornamento, quàm rerum doctrina insignem ostendit. Inter omnes nulla aptior, & clarior, quàm à Coniugis tuæ lectissimæ feminæ obitu. Hæc decem filios reliquit, qui in acerbissimo luctu à te parente amantissimo non frustra solatium expetunt. Matrem amissam lugentes, audiunt, mortem non esse malum, sed bonum summo bono proximum, maximeque necessarium, cuius beneficio Conditori nostro iungimur. Ex ista necessitate æterno matris discessui morigerandum, leuemque pro-

proprijs ingenijs reddendum. Animum nostrum in rerum humanarum dimensione à sensu, qui sæpe imperat, altero oculo captum, longissimè aberrare. Hinc sapere incipiunt: dolorem leniunt: lacrymas abstergunt. Igitur amissam vxorem cur doleam apud eum, qui ea de re vel filijs dolorem interdicit? Sapientiam tuam potius obseruem, cuius recto consilio nihil mali tibi accidere posse intelligis. Perge in isto sensu, vbi non ignoras,

—— iustum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ: rectum discernis, vbi inter
Curua subit, vel cum fallit pede regula varo.

Vale. Bononiæ.

EPIST. LXXXXIV. Forosempronium.

GVLIELMO INGENIERIO.

ILlud amori à Natura insitum videtur, vt nobis in amicorum animi dotes mentis aciem vel acutissimam intendentibus,

facillimè retundat, quòminùs, si quid fæcis lateat, perscrutemur. Id ipsum, ne tibi, Ingenieri, licet non vulgaris ingenij, ac iudicij viro acciderit timeo, cùm ex multis me vnum elegeris, qui magno Italiæ Principi in Euclidis libros à Commandino latinè donatos, tua opera, in lucem emittendos, epistolam dedicatoriam scriberem. Attamen, quid amici vires ferant, tuum; quid ipse debeam, meum fuit videre. Hoc ipse lippis etiam oculis vidissem, quia non exiguum: Tu illud fortasse non vidisti, quia minimum profectò est. Verùm, ne ista, laboris tergiuersandi consilio, me causari credas, epistolæ exemplum ad te mitto, ea lege, vt amicorum, quos nusquam tibi deesse noui, defæcato iudicio submittas, neque tantum Auctori tribuas, vt illius scripta prudentium virorum criticam non admittant. Fidium testor, malle me acri aliorum censura sapere, quàm proprij iudicij illecebris desipere. Si verò tibi, cui omnia debeo, amicis tuis, quibus omnia volo, satisfaciam, adeò vt in lucem edendam censeatis, Typographum Venetum admoneas,
vt

vt primam exemplaris impreſſionem ad me caſtigandam mittat, ne præli errata (ſi quę fuerint) in Auctorem immeritò deriuentur. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXV.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISSIMO D. Carolo Mediceo S. R. E. Cardinali, & Principi Ampliſſimo.

SEreniſſima Mediceorum Familia ſummis Principum, & Regum proſapijs inſerta, plurimis imaginibus, at multò magis florentiſſimo, per tot annorum ſpatium, Etruriæ imperio, Europæ, quin Orbi vniuerſo conſpicua, non vna, ſub feliciſſimis Coſmi Primi, & Ferdinandi auſpicijs, profectione maritima, Othomanorum genti quàm maximè formidabilis, totius Reipublicæ Chriſtianę animos adeò affecit, vt nemo hanc ipſam inter mortales, immortalitatis affinem non deſideret, maiorem in dies Religioni ſplendorem cum vtilitate coniunctum allaturam. Hinc tu,

Carole Cardinalis, & Princeps Augustissime, haud inauspicatò emanasti, omnium cum ciuilium, tum moralium virtutum genere insignitus, quibus longè supra ostrum purpurascens, Cardinalitiæ amplitudini tantum splendoris attulisti, vt spes illicò affulserit, Clementis VII. Leonum X. ac XI. Pij IV. quos vna, eademque ætas Summos Pontifices habuit, dignitatem omnium maximam in tua, quæ maxima est, progenie reuocandi, & quod maius videri possit, ea cum fama, vt vnius Orbis onus, quod aliorum humeris grauissimum esse consueuit, tuis non impar sentias, cùm sex Orbes clarissimos in stemmate gentilitio sustineas. Quin Roma ipsa, vbi virorum dignitatibus fulgentium facta, dictaq. diligentissimè trutinantur, simulatque inter purpuratos Patres Orbis terrarum iudices te sedentem vidit, de rebus grauissimis publicè, ac priuatim coram Paulo V. Pont. Max. differentem audiuit, prudentiam ætatis præiudicium vehementem admirata, non satis habuit Cardinalem natum potius, quàm creatum, maturè Pontificem

crean-

creandum prædicare, quòd ingenij acumen longiùs intendens, interius quiddam, & excellentius ex senario numero perscrutata est; ex te, inquam, sextum Pontificem proditurum, quòd sex orbes, quasi cælestes globi Mediceis antiquitus dati, illud influant, fore, vt sex orbis domini non longo admodum temporis interuallo, è Serenissima eorumdem stirpe oriantur. Nec sanè omnibus partibus absolutum Naturæ officium aliter decebat, quàm vt Ferdinandus toga, & sago, supra æui sui Principes clarus, claram pariter vtrimque sobolem perpetuæ Italorum glorię propagaret. Nonne sago satis claram sobolem Cosmum fratrem tuum hodie in Etruria regnantem cognoscimus? Martiales in eo spiritus adeò vigent, vt, si aliquid præclari facinoris edendi occasio præberetur, nec animum, nec vires sibi defuturas declararet. Rebus verò tranquillis, immatura ætate, matura consilia enutriens, singulorum prædecessorum virtutes, ac merita in se vno, perinde, ac in lucidissimo speculo, non subditorum modò, sed exterorum etiam oculis

obijcit cum summa delectatione contemplanda. Quid de Laurentio altero fratre loquar, seu potius quid de illo non loquar, ignoro. Is generosissima indole à Natura imbutus, veluti Romanorum exemplo, nũc Princeps iuuentutis, sic adulta ętate rerum Italicarum arbiter, quasi alter Laurentius Mediceus, communi omnium consensu, nominabitur. Franciscum tertium fratrem non recenseo, ne quicquid vulneris ex illius immaturo funere accepisti, commemorationis meę culpa recrudescat. Vnde satis erit in medium attulisse, hunc ad immortalem armorum gloriam ocyssimè properantem à fortuna, quòd inuidiam sibi moueret, indignata, actutũ illius imperio subijcienda interceptum. Istas de tuis fratribus laudes summo ore libaui, non vt è fulgentissimis eorum gloriæ radijs aliquid splendoris tibi mutuem (cum minora sidera à Phœbo lumen accipiant, non impertiant) sed vt vos singulos Natura, & moribus fratres germanos ostendam. Illud verò communis encomij vestri summa esse poterit, quòd vnicam in triplici corpore

vo-

volũtatem, rarum hisce temporibus, etiam apud paruos penates, exemplum publicæ parentium vtilitati confouetis. Quamobrem, si antiqua Græcorum religio Hecatæ, quam triformem in mente vnica credebat, supera, atque infera sacrauit; ecquis mortalium vos, Serenissimi Principes, qui Geryonum vestigia calcatis, eodem cultu iniurius non obseruet? Ecquidem non nunc primum aliquod istiusmodi honoris indicium celsitudini vestræ præbendi desiderio afficior; sed vultu in conditionem meam, quæ infima est, non semel defixus, tantorum Principum, quibus alios æquiparabiles Italia nunquam aspexit, tricipiti maiestate videbar deterreri. Hinc te vnum, Carole Princeps omnium humanissime, deligendum putaui, cui supera cum inferis, perpetuæ obseruantiæ meæ testimonium exhiberem. Non tamen Serenissimos fratres debito cultu fraudasse iudicabor; cùm, præter Cardinalitiam dignitatem, quæ consortes non admittit, omnia cum eisdem tibi communia esse fatearis. Supera, Euclidis libros appellare non dubito,

quo-

quoniam Auctor ſupera in ijs pertractat, & omnes, quot quot Mathematicam adhuc profeſſi ſunt, longiſſimè ſuperat. Eoſdem Infera etiam nomino, quoniam græco idiomate conſcripti, inferis ignorantiæ tenebris, apud pleroſque, obſeſſi iacuiſſent, niſi Commandinus optimis artibus egregiè inſtructus latialis linguæ ſplendore, nonnullis commentatiunculis additis illuſtraſſet. ſed iſti non tam mox in lucem prodierunt, quàm mox Mathematices ſtudioſorum manibus oppreſſi, prioribus tenebris, non ſine magno Reipubl. litterariæ damno, reſtituti ſunt. Igitur, vt communi omnium vtilitati conſulam, iterum in lucem edendos curaui: quam profectò clariorem aſpicient, niſi tu, Clariſſime Carole, duplici dignitate, altera naturæ, meritorum altera beneficio præfulgens, obſtetricis officium indigneris. At (quæ tua eſt animi celſitudo) irrogatus etiam dignaberis. *Nam, cui nihil* (vt Plinius in Traiani Panegyrico) *ad augendum faſtigium ſupereſt, hoc vno modo creſcere poteſt, ſi ſe ipſe ſubmittat ſecurus magnitudinis ſuæ: neque enim ab vllo*

peri-

periculo fortuna Principum longiùs abest, quàm ab humilitate. Si istud, repeto, quicquid est, muneris, læto vultu subieris, me non parum laudis, ac famæ assecuturum confido; cùm omnes, qui sapiunt, sentiunt, affirmabunt, Gulielmum Ingenierium non mediocre ingenij acumen ostendisse, qui summorum virorum Euclidis nempè, & Commandini partus summo Principi, inter purpuram, & aurum excipiendos obtulerit. Sacrosancti Purpuratorum Collegij decus, & ornamentum diù felix viue, & me (quod enixè oro) tuere.

EPISTOLA LXXXXVI. Maceratam.

IOANNI BAPTISTAE GALLO in Maceratensi Gymnasio Iuris prudentiæ Professori.

ISTud, quicquid fuit itineris, non minùs feliciter, quàm ego ominatus sum, tibi contigisse, à multis audiui, & maximè gaudeo. Doleo autem, litteras tuas à te arctè adeò haberi, vt ne vnum quidem ad me ver-

verbum. Apage istos amicos, qui cùm absunt, elingues fiunt; & præsertim apud eos, qui illorum sermonem iucundissimis quibuscumque rebus anteponunt. Si me amas (vt amare non semel coram affirmasti) litteras mittere ne respuas; & eas potissimum, quæ de filio tuo optimæ expectationis puero aliquid significent. Is, quemadmodum in tenera ætate parentis ingenij acumen videtur præseferre; sic non dubiam spem affert, fore vt temporis beneficio insignem illius doctrinam æmuletur. De Picentinorum quoque moribus ne sileas. Istos si nec etiam de facie notus liberales enouisti, nunc præsens munificentissimos experieris, confido, & ominor. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXVII. Imolam.

BERNARDINO SALERIO I. C.

O Lubricum humanę vitæ statum! Philippo communi patrono ad præsentem

tem felicitatem nihil deeſſe videbatur, pręter vxorem. Hæc illi obtigit corporis, fortunæ, animi bonis, ſuprà ceteras Bononienſes virgines, egregiè ornata. Altero poſt nuptias, vnanimi ciuium lætitia agitatas, menſe, inter villæ deliciarum copiam affluentem concipit. In vrbem regreſſa, in febrim incidit, cum ea luctatur, victa in lectum deijcitur. In ſummo capitis diſcrimine filium parit immaturum. Hunc tamen Baptiſmi compotem videt, & à morbo non parum conualeſcere videtur. Conualeſcit quidem non ſæculo, ſed Cœlo, cui matura diem ſuum implet, maritum, genitricem, fratres, ciuitatem vniuerſam mœrore non vulgari complet. Si eiuſmodi, præter opinionem, caſum animo quis contempletur, is certè non diſpiciet, quid humanis de rebus ſperandum, quid timendum. Iſtæ per viam à mortalium intelligentia remotiſſimam incedunt; adeò vt ſpes timorem, timor non rarò cōfidentiam gignat. O felices, ac beatos, quorum animus vbiquè conſtans rebus ſecundis non extolli, aduerſis deprimi non ſinit! Nos ab

iſtius

stius primariæ adolescentulæ obitu, multo magis omnium opinione immaturo, non tamen si animi salus spectetur, intempestiuo discamus in spe timere, in metu sperare: vt nouissimo itineri, breui quidem, sed tamen difficili semper parati, cùm dies nobis dicta erit, affinibus, amicis, rebus nostris lætum vale dicamus. Tu vale, & me ama. Bononiæ.

EPISTOLA LXXXXVIII.

AENEAE MAGNANO Bonon. Senatori.

ILlud mihi à superis comparatum sentio, vt patronis omnibus vbique inutilis videar, præterquàm in eorum munificentia meis necessitatibus referanda. Hanc enim virtutem omniũ certè laudatissimam in omnium conspectu eo magis exercendi occasionem habent, quo magis me clientem suum nihil certè meritum libentes amplexantur. Inde conditionis meæ humilitas, illorum magnitudo animi constat. Humili-

militas tamen, cui non mediocris fortunæ homines inuident: magnitudo animi, quam omnes summis viris dignam existimant. Igitur conditio mea, licet demissa, præsertim quòd litium turbis agitatur, non omninò infelix. Quinimò hac vna re tantùm felix, quòd à multis Bononiensibus patricijs, à te verò nō minùs virtutum omnium, quàm Senatoriæ dignitatis splendore Illustrissimo, eximia benignitate subleuatur. Si linguam gratias tibi agere gestientem, auctoritate tua mihi comprimis, animum, qui easdem habere affectat, ne comprimas: & si vtrumque liberalissimus interdicis, interdictum vt prædicem, patiaris. Bonon.

EPISTOLA LXXXXIX.

SEBASTIANO BONOMIO Typographo.

EN tibi, optime Bonomi, epistola ad Illustrissimum Abbatem Boncompagnum in Fraxinelli de Sacerdotum obligationibus librum dedicatoria. Licebat pro-

fectò

fectò per rei magnitudinem, & festiuam occupationum copiam huiusmodi laborem subterfugere: sed libuit sanctissimis amicitiæ legibus satisfacere. Malui, inquam, exiguas ingenij mei vires periclitari, quàm inofficiosi hominis notam subire. Istam, qualis qualis est, ad te mitto, vt, cùm volueris, prælo committas. Si quid aliud tibi opus erit, operam meam vbiquè paratam ne ignores. Illud enim vetus amicitia nostra videtur postulare, vt officiorum vicissitudine certemus, neque alter ab altero vinci patiamur. Ego certè non patiar, qui te in mutua beneuolentia æqualem non patior. Vale. Bononiæ.

EPISTOLA C.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISSIMO D. Francisco Boncompagno S. D. N. vtriusq. Signat. Referendario, & Abbati meritissimo.

VTinam, Illustrissime Domine, qui Apollinis oraculo sapientissimus est iudi-

iudicatus, ſingulis hominum pectoribus ſpeculam, vnde introſpicerentur animi, fruſtra non deſideraſſet! Mea namque in te obſeruantia, & cultus certè non vulgaris tibi, ceteriſque non vulgariter conſpicuus nulla exteriora indicia poſtularet. Verùm, quia oratio cordis nuncia non minùs verè appellatur, quàm ſit, vt quod animo altiſſimè conditur, aperiam, te patronum, te Mecœnatem appello. Patronus quidem es pijſſimus, liberaliſſimuſque Mecœnas, Romano illo Mecœnate, cuius famam nulla vnquam temporis iniuria abrodet, munificentior, quòd gratia tua cùm iam diù me fouere cœperis, ab eadem, quamuis nihil adhuc mereri cœperim, non deſiſtis. Si occaſiones omnes, quibus tua animi celſitudine viro principe digna, conditionis meæ demiſsionem ſubleuaſti, in præſentia recenſeam, nimis profectò longus ſim, tibi non parum moleſtus, qui pro collatis beneficijs hanc vnam mercedem, æternum ſcilicet accipientis ſilentium requiris. A te iuſſus ſileo: ſed vereor, ne alij de me illud loquantur, quòd in maxima beneficiorum

copia elinguis, ingrati animi vitium ſatis facundè patefaciam. Vt vereri ceſſem, lingua imperio tuo mihi vincta, manus, obſecro, ne vincias: illud humaniter feras, vt præſentem librum, qui non parum auctus, ex mea Typographia nouiſsimè prodit, tibi Domino meo tutelari donem. Is de Sacerdotum obligationibus inſcriptus te potiſsimum expetit, qui præter rerum omnium ſcientiam, morum caſtimonia, irreprehenſibilem Sacerdotum vitam æmularis adeò, vt nemo in Romana Curia te ſummis honoribus dignum non agnoſcat, meritorum potius, quàm fortunæ beneficio Boncompagnæ familiæ claritatem vbique terrarum fulgentiſsimam renouaturum, non acclamet. Auctor eſt Admod. Reuer. Pater Paulus Fraxinellus Bonon. Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, ſacræq́. Theologiæ in hoc florentiſsimo Archigymnaſio Profeſſor publicus; qui, cùm iſtas lucubrationes ſuas iam biennij ſpatio, quinquies prælo commiſſas viderit, immortalitatis iter, communi omnium conſenſu, videtur ingreſſus. De libro, tu, cuius iudicij grauitas,

uitas, etiam in iuuenta, nihil sibi graue existimat, cum Illustrissimo Cardinale Bellarmino sacrarum litterarum Patre optimo, cui primùm dicatus fuit, qualitatis potius ratione habita, quàm magnitudinis, non sine ingenti laude iudicabis. De me illud iudica, cùm de meo, nec etiam me ipsum habeam (tui namque iuris sum) quod aliorum est, eo consilio tibi deferre, vt me in tuorum clientum, qui addictissimi sunt, numero confirmes: quod facilè me impetraturum confido, cùm optimæ cuiuslibet voluntati, licet rebus vacuæ, pro clarissimo ingenitæ benignitatis testimonio, acquiescas. Vale præsidium, & decus meum.

FINIS CENT. II.





BONONIÆ,
Typis Hæredum Bartholomæi Cochij.
M DC XXIII.
Superiorum permissu.

Impensis Peregrini Golfarini.



ERRATA
SIC CORRIGES

EX CENTVRIA I.

Ep. 1. lin. 18. cum	lege	cùm
Ep. ead. lin 21. Ideo		Ideò
Ep. 3. lin. 6. facillime		facillimè
Ep. ead. lin. 27. cum		cùm
In inſcrip. Ep. 4. conſcieutię		conſciẽtię
Ep. 4. lin. 3. precepi		percepi
Ep. ead. lin. 11. comcomparaſti		cõparaſti
Ep. 6. lin. 13. eoque libentius		eoquè libentiùs
Ep. 7. lin. 23. rationis		ratione
Ep. 9. lin. 5. idque		idquè
Ep. ead. lin. 6. precibus te		precibus à te
Ep. 14. lin 5. penniculo		pennicillo
Ep. ead. lin. 7. veſtis		veſtit
Ep. 15. lin 5. catior		carior
Ep. ead. lin. 6. Tui		Tuî
Ep. ead. lin 9. De in		Dein

Ep.

Ep. ead. lin. 23. iterfacientem	iter faciẽtẽ
Ep. 18. lin. 19. nuunquam	nunquam
Ep. ead. lin. 22. frueret	fruerer
Ep. ead. lin. 28. adſcribendum dum	ad ſcribendum
Ep. 19. lin 2. inincolumis	incolumis
Ep. ead. lin. 5. Quò	Quo
Ep. 20. lin. 17. poſt habeas	poſthabeas
Ep. 24. lin 5. cum	cùm
Ep. 26. lin. 20. omnino, & gerre & gerræ	omninò,
Ep. 28. lin 17. ſimulque	ſimulquè
Ep. 36. lin. 2. Sacto	Sancto
Ep. 37. lin. 3. Adeo	Adeò
Ep. 38. lin 11. deſideras	deſideres
Ep. 39. lin. 1. tui	tuì
Ep. 40. lin 20. Symmacus	Symmachus
Ep. ead. lin 26. frlicis	felicis
Ep. 42. lin. 19. ſolatius	ſolatium
Ep. 44. lin. 13. De hinc	Dehinc
Ep. 45. lin 13. vt quid	vt quicquid
Ep. 48. lin 9. adeòque	adeòquè
Ep. 51. lin. 4. graculitatem	Garulitatẽ

Ep.

Ep. 58. lin. 7. Qnoties — Quoties
Ep. 67. lin. 5. Ne — Næ
In inscrip. Ep. 68. Mathæo — Matthæo
Ep. 70. lin. 2. Natiuitati — Natiuitatis
Ep. 72. lin. 33. hicrusticantes — hic rusticantes
Ep. 73. lin. 18. falutem — salutem
Ep. 78. lin 20. tui — tuì
Ep. 79. lin. 26. forlunam — fortunam
Ep. 83. lin. 8. patrisqne — patrisque
Ep. 87. lin 37. Quò — Quo
Ep. ead. lin 52. Quò — Quo
Ep. 90. lin 4. quod — quòd
Ep. 97. lin. 14. cum — cùm
Ep. 99. lin. 2. quam — quàm
Ep. 100. lin. 22. cum — cùm
Ep. ead. lin. 36. latèque — latèquè

EX CENTVRIA II.

Ep. 2. lin. 22. tui — lege — tuì
Ep. 4. lin. 13. Quò — Quo
In Inscript. Ep. 6. Guhernatori — Gubernatori

Ep.

Ep. 10. lin. 26. cũm	cùm
Ep. 17. lin. 28. iu	in
Ep. 18. lin 3. mihil audis	mihi laudis
Ep. 24. lin. 19. ſui	ſuì
Ep. 25. lin. 7. Quam	Quàm
Ep. 27. lin. 10. cum	cùm
Ep. 38. lin 10. ſcd	ſed
Ep. 44. lin. 18. fruſtationem nem	fruſtrationem
Ep. 48. lin. 30. augebatur	augebunt
Ep. 59. lin. 10. Atmen	Attamen
Ep. 61. lin. 4. ſuſcepit	ſuſcepti
Ep. 63. lin 9. ſimulque	ſimulquè
Ep. 69. lin. 18. tui	tuì
Ep. 70. lin. 6. quod	quòd
Ep. 71. lin. 12. vincæ	vineæ
Ep. 72. lin. 18. perpetuo	perpetuò
Ep. 76. lin. 9. intellcxi	intellexi
Ep. 83. lin. 7. meiq́ue	meique
Ep. 91. lin 22. iudibis	iudicabis
Ep. 94. lin. 4. quòminus	quò minùs
Ep. 95. lin. 84. cuin	cùm
Ep. ead. lin. 124. ſed	Sed